



D # Pretium Edd. Riegelianarum.  
n. A. 7. 790. Int. CXXVIII.

Caesar. 15 gr.

Cic. de Or. 7.

— de Off. 4.

— de Sen. et. 4.

— Or. Fel. 8.

— Ep. Fel. 3.

— de N. D. 5.

Curtius. 10.

Eutrop. 3.

Flor. & Amp. 6.

Horat. 8.

Justin. 8.

Ino. & Pel. 5.

Pomp. Mal. 3.

Corn. 4.

Ovid. Trist. 4.

— Met. 14.

— Ep. ex P. 4.

— Fast. 5.

Perf. 1.

Phadr. 2.

Plin. Ep. 9.

— Paneg. 3.

Sallust. 6.

Sueton. 11.

Tac. Gem. & Ag. 2.

Terent. 8.

Val. Max. 12.

Virg. 16.

M. 769

00 de

f. n. h. Maay 3

6<sup>a</sup> 1803

1261.



PH A E D R I  
A V G V S T I L I B E R T I  
F A B V L A R V M  
A E S O P I A R V M  
L I B R I V .  
E T  
N O V A R V M F A B V L A R V M  
A P P E N D I X .



---

N O R I M B E R G A E ,  
E X O F F I C I N A L I B R A R I A R I E G E L I A N A .

1 7 7 3 .

PH A E D R I  
AVGVSTI LIBRARI  
FABVLARVM  
AESOPICARVM  
LIBRI V.  
ET  
NOVARVM FABVLARVM  
APPENDIX



NORIMBERGAE  
IN OFFICINA LIBRARIA SIVE LITHOGR.

L 57,



PHAEDRI  
AVG. LIBERTI  
FABVLARVM  
AESOPIARVM  
LIBER PRIMVS.

---

PROLOGVS.  
**A**ESOPVS auctor quam materiam reperit,  
Hanc ego polui versibus senariis.  
Duplex libelli dos est; quod risum mouet,  
Et quod prudenti vitam consilio monet.  
Calumniari si quis autem voluerit,  
Quod arbores loquantur, non tantum ferae:  
Fictis iocari nos meminere fabulis.

*Phaedrus.*

**A**

**FAB.**



FAB. I.

LVPVS ET AGNVS.

Ad riuum eundem lupus et agnus venerant

Siti compulsi: superior stabat lupus

Longeque inferior agnus: tunc fauce improba

Latro incitatus iurgii causam intulit.

5 Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi

Istam bibenti? Laniger contra, timens:

Qui possum, quaeso, facere, quod quereris,  
lupe?

A te decurrit ad meos haustus liquor.

Repulsus ille veritatis viribus,

10 Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.

Respondit agnus: equidem natus non eram.

Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.

Atque ita correptum lacerat, iniusta nece.

Haec propter illos scripta est homines fabula,

15 Qui fictis causis innocentes opprimunt.

FAB. II.

RANAE REGEM PETENTES.

Athenae quum florent aequis legibus,

Procax libertas ciuitatem miscuit,

Frenumque soluit pristinum licentia.

Hinc conspiratis factionum partibus,

3 Arcem tyrannus occupat Pisistratus.


Cum



Cum tristem seruitutem flerent Attici:  
Non quia crudelis ille; sed quoniam graue  
Omne infuetis onus, et coepissent queri:  
Aesopus talem tum fabellam retulit.

Ranae, vagantes liberis paludibus,  
Clamore magno regem petiere a Ioue,  
Qui dissolutos mores vi compesceret.  
Pater deorum risit, atque illis dedit:  
Paruum tigillum, misum quod subito vadi  
Motu sonoque terruit pauidum genus.  
Hocmersum limo cum iaceret diutius,  
Forte una tacite profert e stagno caput,  
Et, explorato rege, cunctas euocat.  
Illae, timore posito, certatim adnatant,  
Lignumque supra turba petulans insilit.  
Quod cum inquinassent omni contumelia,  
Alium rogantes regem misere ad Iouem,  
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.  
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero  
Corripere coepit singulas: frustra necem  
Fugitant inertes, vocem praecludit metus.  
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem,  
Adficiis ut succurrat. Tunc contra deus,  
Quia noluitis vestrum ferre, inquit, bonum,  
Malum perferte. Vos quoque, o ciues, ait,  
Hoc sustinete, maius ne veniat malum.



  
FAB. III.  
GRACVLVS SVPERBVS ET  
PAVO.


Ne gloriari libeat alienis bonis,  
Suoque potius habitu vitam degere,  
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.  
Tumens inani graculus superbia  
5 Pennas, pavoni quae deciderant, sustulit,  
Seque exornauit: deinde, contemnens suos,  
Formoso se pavonum immiscuit gregi.  
Illi impudenti pennas eripiunt aui,  
Fugantque rostro. Male mulcatus graculus  
10 Redire moerens coepit ad proprium genus:  
A quo repulsus tristem sustinuit notam.  
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat,  
Contentus nostris si fuisses sedibus,  
Et, quod natura dederat, voluisses pati,  
15 Nec illam expertus eses contumeliam,  
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FAB. IV.  
CANIS PER FLVIVM CAR-  
NEM FERENS.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.  
Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,  
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:  
Ali-



R



Altamque praedam ab alio ferri putans,  
Eripere voluit. Verum decepta auditas  
Et, quem tenebat ore, demisit cibum,  
Nec, quem petebat, adeo potuit adtingere.

FAB. V.

VACCA ET CAPELLA, OVIS  
ET LEO.

Numquam est fidelis cum potente societas.

Testatur haec fabella propositum meum.

Vacca, et capella, & patiens ovis iniuriae  
Socii fuere cum leone in saltibus.

Hi quum cepissent ceruum vasti corporis,

Sic est locutus, partibus factis, leo:

Ego primam tollo, nominor quia leo:

Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi:

Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia:

Malo adicietur, si quis quartam tetigerit.

Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

FAB. VI.

RANAE AD SOLEM.

Vicini furis celebres vidit nuptias

Aesopus, et continuo narrare incipit.

Vxorem quondam Solem velle ducere

Clamorem ranae sustulere ad sidera.

Coniucio permotus quaerit Iupiter

A 3

Cau.

6  
Causam querelae: quaedam tum stagni incolae,  
Nunc, inquit, omnes vnus exurit lacus,  
Cogitque miseris arida sede emori;  
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

FAB. VII.

VVLPIſ AD PERSONAM TRA-  
GICAM.

Personam tragicam forte vulpis viderat:  
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!  
Hoc illis dictum est, quibus honorem et glo-  
riam

Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

FAB. VIII.

LVPVS ET GRVIS.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,  
Bis peccat: primum quoniam indignos adiuuat;  
Impune abire deinde quia iam non potest.  
Os deuoratum fauce cum haereret lupi,  
5 Magno dolore victus, coepit singulos  
Inlicere pretio, vt illud extraherent malum.  
Tandem persuasa est iureiurando gruis,  
Gulaeque credens colli longitudinem,  
Periculosam fecit medicinam lupo.  
10 Pro quo cum pactum flagitaret praemium:  
Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput  
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.

FAB.





## FAB. IX.

## PASSER ET LEPVS.

Sibi non cauere, et aliis consilium dare,  
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

Oppressum ab aquila, fletus edentem graues,  
Leporem obiurgabat passer. Vbi pernicitas  
Nota, inquit, illa est? quid ita cesarunt pedes?  
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,  
Questuque vano clamitantem interficit.  
Lepus semianimus, mortis in solatio:  
Qui modo securus nostra inridebas mala,  
Simili querela fata deploras tua.

## FAB. X.

LVPVS ET VVLPIS IVDICE  
SIMIO.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,  
Etiam si verum dicit, amittit fidem.  
Hoc adtestatur breuis Aesopi fabula.  
Lupus arguebat vulpem furti crimine:  
Negabat illa, se esse culpae proximam.  
Tunc iudex inter illos sedit simius.  
Vterque causam cum perorassent suam,  
Dixisse fertur simius sententiam:  
Tu non videris perdidisse, quod petis;  
Te credo furripuisse, quod pulchre negas.





## FAB. XI.

## ASINVS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,  
Ignotos fallit; notis est derisui.

Venari, a fello comite, quum vellet leo,  
Contexit illum frutice, et admonuit simul,

5 Vt insueta voce terreret feras,  
Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus

Clamorem subito totis tollit viribus,  
Nouoque turbat bestias miraculo.

Quae dum pauentes exitus notos petunt,  
20 Leonis adfliguntur horrendo impetu.

Qui, postquam caede fesus est, asinum euocat,  
Iubetque vocem premere. Tunc ille insolens:  
Qualis videtur opera tibi vocis meae?

Insignis, inquit, sic, vt, nisi nossem tuum

15 Animum genusque, simili fugissem metu.

## FAB. XII.

## CERVVS AD FONTEM.

Laudatis vtiliora, quae contemferis,  
2 Saepe inueniri, haec exferit narratio.

Ad fontem ceruus, quum bibisset, restitit,


Et in liquore vidit effigiem suam.

5 Ibi dum ramosa, mirans, laudat cornua,

Crurumque nimiam tenuitatem vituperat:

Venantium subito vocibus conterritus,

Per



Per campum fugere coepit, & cursu leui  
Canes elusit. Silua tum exceptit ferum,  
In qua retentis impeditus cornibus, 10  
Lacerari coepit morsibus saeuus canum.  
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:  
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,  
Vtilia mihi quam fuerint, quae despexeram;  
Et, quae laudaram, quantum luctus habueriat. 13

FAB. XIII.  
VVLPIS ET CORVVS.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,  
Sera dant poenas turpes poenitentia.  
Quum de fenestra coruus raptum caseum  
Comesse vellet, celsa residens arbore:  
Hunc vidit vulpis, deinde sic coepit loqui. 3  
O qui tuarum, corue, pennarum est nitor!  
Quantum decoris corpore et vultu geris!  
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.  
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,  
Emisit ore caseum: quem celeriter 10  
Dolosa vulpis audivis rapuit dentibus.  
Tum demum ingemuit corui deceptus stupor.  
(Hac re probatur, quantum ingenium valet:  
Virtute & semper praeualet sapientia.)



FAB. XIV.

EX SVTORE MEDICVS.


Malus quum futor, inopia deperditus,  
 Medicinam ignoto facere coepisset loco,  
 Et venditaret falso antidotum nomine:  
 Verbosis adquisiuit sibi famam strophis.  
 Hic quum iaceret, morbo confectus graui,  
 Rex vrbs, eius experiendi gratia,  
 Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua  
 Antidoto miscere illius se toxicum,  
 Hoc bibere iussit ipsum, posito praemio.  
 Timore mortis ille tum confesus est,  
 Non artis vlla medicae se prudentia,  
 Verum stupore vulgi, factum nobilem.  
 Rex, aduocata concione, haec edidit:  
 Quantae putatis esse vos dementiae,  
 Qui capita vestra non dubitatis credere,  
 Cui calceandos nemo commisit pedes?  
 Hoc pertinere ad illos vere dixerim,  
 Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

FAB. XV.

ASINVS AD SENEM PA-  
 STOREM.

In principatu commutando ciuium  
 Nil praeter domini nomen mutant pauperes.





Id esse verum, parua haec fabella indicat.

Asellum in prato timidus pascebat senex.

Is, hostium clamore subito territus,

Suadebat asino fugere, ne possent capi.

At ille lentus: quaeso, num binas mihi

Clitellas impositurum victorem putas?

Senex negavit. Ergo quid refert mea,

Cui seruiam? clitellas dum portem meas.

FAB. XVI.

CERVVS ET OVIS.

Fraudator nomen cum locat sponso improbo,

Non rem expedire, sed mala videre expetit.

Ouem rogabat cervus modium tritici,

Lupo sponso: at illa, praemetuens doli,

Rapere atque abire semper adsuevit lupo;

Tu de conspectu fugere veloci impetu.

Vbi vos requiram, cum dies aduenerit?

FAB. XVII.

OVIS, CANIS ET LVPVS.

Solent mendaces luere poenas malefici.

Caluminator ab oue cum peteret canis,

Quem commodasse panem se contenderet;

Lupus, citatus testis, non vnum modo

Deberi, dixit, verum, adfirmavit, decem.

Quis, damnata falso testimonio,

Quod



Quod non debebat, soluit. Post paucos dies  
 Bidens iacentem in fouea prospexit lupum:  
 Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

### FAB. XVIII.

## MVLIER PARTVRIENS.

Nemo libenter recolit, qui laesit, locum.  
 Instante partu, mulier, actis mensibus,  
 Humi iacebat, flebiles gemitus ciens.  
 Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,  
 Onus maturum melius quo deponeret.  
 Minime, inquit, illo posse confido loco  
 Malum finiri, quo conceptum est initio.

### FAB. XIX.

## CANIS PARTVRIENS.

Habent infidias hominis blanditiae mali:  
 Quas vt vitemus, versus subiecti monent.  
 Canis parturiens, eum rogasset alteram,  
 Vt foetum in eius tugurio deponeret,  
 Facile impetrauit: dein reposcenti locum  
 Preces admouit, tempus exorans breue,  
 Dum firmiores possent catulos ducere.  
 Hoc quoque confumto, flagitare validius  
 Cubile coepit. Si mihi et turbae meae  
 Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

FAB.



## FAB. XX.

## CANIS FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,  
Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.

Corium depressum in fluuio viderunt canes:  
Id vt comesse extractum possent facilius,  
Aquam coepere ebibere. Sed rupti prius  
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

## FAB. XXI.

LEO SENEX, APER, TAURVS  
ET ASINVS.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,  
Ignauis etiam iocus est in casu graui.

Defectus annis, et desertus viribus

Leo cum iaceret, spiritum extremum trahens,

Aper fulmineis ad eum venit dentibus,

Et vindicauit ictu veterem iniuriam.

Infestis taurus mox confodit cornibus

Hostile corpus. Asinus, vt vidit, ferum

Impune laedi, calcibus frontem exterit.

At ille expirans: Fortes indigne tuli

Mihi insultare; te, naturae dedecus,

Quod ferre certe cogor, bis videor mori.





## FAB. XXII.

## MVSTELA ET HOMO.

Mustela, ab homine presa, cum instantem  
necem

Effugere vellet: quaeso, parce, inquit, mihi,

Quae tibi molestis muribus purgo domum.

Respondit ille, faceres si causa mea,

5 Gratum esset, & dedissem veniam supplici:

Nunc quia laboras, vt fruaris reliquiis,

Quas sunt rosuri, simul & ipsos deuores,

Noli imputare vanum beneficium mihi.

Atque ita locutus, improbam leto dedit.

10 Hoc in se dictum debent illi agnoscere,

Quorum priuata seruit utilitas sibi,

Et meritum inane iactant imprudentibus.

## FAB. XXIII.

## CANIS FIDELIS.

Repente liberalis stultis gratus est;

Rerum peritis inritos tendit dolos.

Nocturnus cum fur panem misisset cani,

Obiecto, tentans, an cibo posset capi:

5 Heus, si, inquit, linguam vis meam praeclu-  
dere,

Ne latrem pro re domini, multum falleris.

Nam-

Namque ista subita me iubet benignitas  
Vigilare, faciās ne mea culpa lucrum.

## FAB. XXIV.

## RANA RUPTA ET BOS.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.

In prato quondam rana conspexit bouem,

Et, tacta inuidia tantae magnitudinis,

Rugosam inflauit pellem: tum nates suos

Interrogauit, an boue esfet latior.

Illi negarunt. Rursus intendit cutem

Maiore nisu, et simili quaesiuit modo,

Quis maior esfet. Illi dixerunt, bouem.

Nouisime indignata, dum vult validius

Inflare sese, rupto iacuit corpore.

## FAB. XXV.

## CANIS ET CORCODILVS.

Consilia qui dant praua cautis hominibus,

Et perdunt operam, et deridentur turpiter.

Canes currentes bibere in Nilo flumine,

A corcodilis ne rapiantur, traditum est.

Igitur cum currens bibere coepisset canis,

Sic corcodilus: quamlibet lambe otio,

Accede, pota leniter, et noli dolos,

Inquit, vereri. At ille: facerem mehercule,

Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

FAB.



FAB. XXVI.  
VVLPIſ ET CICONIA.

Nulli nocendum; ſi quis vero laeſerit,  
Multandum ſimili iure, fabella admonet.

- Vulpes ad coenam dicitur ciconiam  
Prior inuitaſſe, et illi in patena liquidam  
3 Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo  
Gutare eſuriens potuerit ciconia.  
Quae vulpem cum reuocaſſet, intrito cibo  
7 Plenam lagonam poſuit: huic roſtrum inferens  
Satiatur ipſa, torquet conuiuam fame.  
10 Quae quum lagonae fruſtra collum lamberet,  
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:  
Sua quiſque exempla debet aequo animo pati.

FAB. XXVII.  
CANIS, THEſAVRVS ET  
VVLTVRIVS.

- Haec res auaris eſſe conueniens poteſt,  
Et qui humiles nati dici locupletes ſtudent.  
Humana effodiens oſſa, theſaurum canis  
Inuenit: et, violarat quia Manes deos,  
3 Inieſta eſt illi diuitiarum cupiditas,  
Poenas vt ſanctae religioni penderet.  
Itaque aurum dum caſtodit, oblitus cibi,  
Fame eſt conſumptus. Quem ſtans vulturius ſuper  
Fertur



Fertur locutus: O canis, merito iaces,  
 Qui concupisti subito regales opes, 10  
 Triuio conceptus, et educatus stercore.

## FAB. XXVIII.

## VVLPIS ET AQVILA.

Quamuis sublimes debent humiles metuere,  
 Vindicta docili quia patet sollertiae.

Vulpinos catulos aquila quondam fustulit,  
 Nidoque posuit pullis, escam vt carperent.

Hanc persecuta mater, orare incipit, 5  
 Ne tantum miserae luctum importaret sibi.

Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.

Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,  
 Totamque flammis arborem circumdedit,

Hosti dolorem damno miscens sanguinis. 10

Aquila, vt periculo mortis eriperet suos,  
 Incolumes natos supplex vulpi tradidit.

## FAB. XXIX.

## ASINVS IRRIDENS APRVM.

Plerumque stulti, risum dum captant leuem,  
 Graui desfringunt alios contumelia,

Et sibi nocium concitant periculum.

Afellus, apro cum fuisset obuius,

*Phaedrus.*

B

Salue



Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat  
 Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit.  
 A finus, demisso pene, Si similem negas  
 Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.  
 Aper cum vellet facere generosum impetum,  
 10 Represfit iram; et, facilis vindicta est mihi,  
 Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

FAB. XXX.

2 RANAE METVENTES TAURORUM PROELIA.

Humiles laborant, vbi potentes disident.  
 Rana, in palude pugnam taurorum intuens,  
 Heu, quanta nobis instat pernicies! ait.  
 Interrogata ab alia, cur hoc diceret,  
 5 De principatu cum decertarent gregis,  
 Longeque ab illis degerent vitam boues;  
 Est statio separata, ac diuersum genus;  
 Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,  
 Paludis in secreta veniet latibula,  
 10 Et proculcatas obteret duro pede.  
 Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.


FAB. XXXI.

## MILVVS ET COLUMBAE.

Qui se committit homini tutandum improbo,  
Auxilia dum requirit, exitium inuenit.

Columbae, saepe cum fugissent milium,  
Et celeritate pennae vitasent necem,  
Consilium raptor vertit ad fallaciam,  
Et genus inerme tali decepit dolo.

Quare sollicitum potius aeuum ducitis,  
Quam me creatis ic̄to regem foedere,  
Qui vos ab omni tutas praestem iniuria?  
Illae credentes, tradunt sese milio:  
Qui, regnum adeptus, coepit vesci singulas,  
Et exercere imperium saeuus vnguibus.  
De reliquis tunc vna: merito plectimur.



PHAEDRI  
LIBER SECVNDVS.

AVCTOR.

Exemplis continetur Aesopi genus,  
Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,  
Quam corrigatur error vt mortalium,

B 2

Acuat-





- Acuatque sese diligens industria.  
 § Quicumque fuerit ergo narranti iocus,  
 Dum capiat aurem, et feruet propositum  
 suum,  
 Re commendatur, non auctoris nomine.  
 Equidem omni cura morem seruabo fenis;  
 Sed si libuerit aliquid interponere,  
 10 Dictorum sensus vt delectet varietas;  
 Bonas in partes, lector, accipias velim.  
 Ita, si rependet ipsa breuitas gratiam,  
 Cuius verbosa ne sit commendatio,  
 Attende, cur negare cupidis debeas;  
 15 Modestis etiam offerre, quod non petierint.

## FAB. I.

IUVENCVS, LEO ET PRAE-  
DATOR.

- Super iuencum stabat deiectum leo.  
 Praedator interuenit, partem postulans:  
 Darem, inquit, nisi soleres per te fumere,  
 Et improbum reiecit. Forte innoxius  
 § Viator est deductus in eundem locum,  
 Feroque viso, retulit retro pedem.  
 Cui placidus ille, non est quod timeas, ait:  
 Et, quae debetur pars tuae modestiae,  
 Audacter tolle. Tunc, diuiso tergore,  
 Siluas



Silvas petiuit, homini vt accesum daret. 10  
Exemplum egregium prorsus et laudabile.  
Verum est auiditas diues, et pauper pudor.

## FAB. II.


ANVS DILIGENS VIRVM AE-  
TATIS MEDIAE, ITEM  
PVELLA.

A feminis vtcunque spoliari viros,  
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.  
Aetatis mediae quendam mulier non rudis  
Tenebat, annos celans elegantia:  
Animosque eiusdem pulchra iuuenis ceperat, 5  
Ambae, videri dum volunt illi pares,  
Capillos homini legere coepere inuicem.  
Cum se putaret fingi cura mulierum,  
Caluus repente factus est. Nam funditus  
Canos puella, nigros anus euellerat.

## FAB. III.

## HOMO ET CANIS.

Laceratus quidam morsu vehementis canis  
Tinctum cruore panem misit malefico,  
Audierat esse quod remedium vulneris.  
Tunc sic Aesopus: noli coram pluribus



22 Hoc facere canibus, ne nos viuos deuorent,  
 5 Cum scierint, esse tale culpae praemium.  
 Succesus improborum plures adlicit.

FAB. IV.

AQVILA, FELES ET APERA.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:  
 Feles, cauernam naeta, in media pepererat:  
 Sus nemoricultrix foetum ad imam posuerat.  
 Tum fortuitum feles contubernium  
 5 Fraude et scelesta sic euertit malitia.  
 Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,  
 Tibi paratur, forsitan et miserae mihi.  
 Nam fodere terram quod vides quotidie  
 Aprum insidiosum, quercum vult euertere,  
 10 Vt nostram in plano facile progeniem op-  
 primat.

Terrore offuso, et perturbatis sensibus,  
 Derepit ad cubile fetosae suis:  
 Magno, inquit, in periculo sunt nati tui.  
 Nam simul exieris pastum cum tenero grege,  
 15 Aquila est parata rapere porcellos tibi.  
 Hunc quoque timore postquam compleuit  
 locum,  
 Dolosa tuto condidit sese cauo.  
 Inde euagata noctu, suspenso pede,

Vbi



Vbi esca se repleuit et prolem suam,  
 Pauorem simulans, prospicit toto die. 20  
 Ruinam metuens aquila ramis desidet:  
 Aper, rapinam vitans, non prodit foras.  
 Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,  
 Felisque catulis largam praebuerunt dapem.  
 Quantum homo bilinguis saepe concinnet 25  
 mali,  
 Documentum habere stulta credulitas potest.

FAB. V.

## CAESAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum quaedam Romae natio,  
 Trepide concursans, occupata in otio,  
 Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,  
 Sibi molesta, et aliis odiosissima.  
 Hanc emendare, si tamen possum, volo 3  
 Vera fabella: pretium est operae attendere.  
 Caesar Tiberius cum, petens Neapolin,  
 In Misinensem villam venisset suam,  
 Quae monte summo posita Luculli manu, 5  
 Prospicit Siculum, et prospicit Tuscum 10  
 Ex alticinctis vnus atriensibus,  
 Cui tunica ab humeris linteo Pelusio  
 Erat districta, cirris dependentibus,

B 4 Peram-



- Perambulante laeta domino viridia,  
 15 Alueolo coepit ligneo conspergere  
 Humum aestuantem, come officium iacti-  
 tans:  
 Sed deridetur. Inde notis flexibus  
 Praecurrit alium in xystum, sedans puluerem.  
 Agnoscit hominem Caesar, remque intelligit.  
 20 Id vt putauit esse, nescio quid boni:  
 Heus, inquit dominus; ille enim vero adfilit,  
 Donationis alacer certae gaudio.

Tum sic iocata est tanti maiestas ducis:  
 Non multum egisti, et opera nequicquam  
 perit;

- 25 Multo maioris alapae mecum veneunt.

#### FAB. VI.

### AQVILA, CORNIX ET TESTVDO.

- Contra potentes nemo est munitus satis:  
 Si vero accesfit consiliator maleficus,  
 01 Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.  
 Aquila in sublime sustulit testudinem.  
 5 Quae cum abdidisset cornea corpus domo,  
 Nec vlllo pacto laedi posset condita:  
 Venit per auras cornix, et, propter volans,  
 Opimam sane praedam rapuisti vnguibus,  
 Sed,



Sed, nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,  
Graui nequidquam te lasfabit pondere. 10  
Promisfa parte, suadet, vt scopulum super  
Altiſ ab aſtris duram inlidat corticem,  
Qua comminuta facili veſcatur cibo.  
Inducta verbis aquila, monitiſ paruit,  
Simul et magiſtrae large diuiſit dapem. 15  
Sic, tuta quae naturae fuerat munere,  
Impar duabus occidit trifti nece.

## FAB. VII.

## MVLI ET LATRONES.

Muli grauati ſarciniſ ibant duo:  
Vnus ferebat fiſcos cum pecunia;  
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.  
Ille onere diues, celfa ceruice eminens,  
Clarumque collo iactans tintinnabulum:  
Comes quieto ſequitur et placido gradu.  
Subito latrones ex inſidiis aduolant,  
Interque caedem ferro mulum trufitant:  
Diripiunt numos, negligunt vile hordeum.  
Spoliatus igitur caſus quum fieret ſuos, 10  
Equidem, inquit alter, me contemptum gau-  
deo.  
Nam nihil amiſi, nec ſum laeſus vulnere.  
Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas.  
Magnae periclo ſunt opes obnoxiae.





## FAB. VIII.

## CERVVS ET BOVES.

Cervus memorosis excitatus latibulis  
 Ut venatorum fugeret instantem necem,  
 Caeco timore proximam villam petit,  
 Et opportuno se bubili condidit.  
 Hic bos latenti: Quidnam voluisti tibi  
 Infelix, vitro qui ad necem cucurreris,  
 Hominumque tecto spiritum commiseris?  
 At ille suplex, Vos modo, inquit, parcite,  
 Occasione, rursus erumpam, data  
 Spatium diei noctis excipiunt vices.  
 Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt:  
 Eunt subinde et redeunt omnes rustici,  
 Nemo animaduertit: transit etiam villicus,  
 Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus  
 Bobus quietis agere coepit gratias,  
 Hospitium aduerso quod praestiterint tem-  
 pore.  
 Respondit vnus: Saluum te cupimus quidem;  
 Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit.  
 Magno in periclo vita vertetur tua.  
 Haec inter ipse dominus a coena redit,  
 Et, quia corruptos viderat nuper boues,  
 Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est?  
 Stramenta desunt? tollere haec aranea

Quantum

Quantum est laboris? Dum serutatur singula,  
 Cerui quoque alta est conspicatus cornua. 25  
 Quem conuocata iubet occidi familia,  
 Praedamque tollit. Haec significat fabula,  
 Dominum videre plurimum in rebus suis.

## EPILOGVS.

Aesopi ingenio statuum posuere Attici,  
 Seruumque collocarunt aeterna in basi,  
 Patere honoris scirent vt cunctis viam,  
 Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.  
 Quoniam occupat alter, ne primus forem,  
 Ne solus esset, studui; quod superfuit.  
 Nec haec inuidia, verum est aemulatio.  
 Quod si labori fauerit Latium meo,  
 Plures habebit, quos opponat Graeciae.  
 Si liuor obtrectare curam voluerit, 10  
 Non tamen eripiet laudis conscientiam.  
 Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,  
 Et arte fictas animus sentit fabulas;  
 Omnem querelam submouet felicitas.  
 Sin autem, ac illis doctus occurret labor, 15  
 Sinistra quos in lucem natura extulit,  
 Nec quidquam possunt, nisi meliores car-  
 pere:  
 Fatale exitium corde durato feram,  
 Donec fortunam criminis pudeat sui.

PHAE-




PHAEDRI  
LIBER TERTIVS.

PROLOGVS AD EVTY-  
CHVM.

**P**haedri libellos legere si desideras,  
 Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,  
 Vt liber animus sentiat vim carminis.  
 Verum, inquit, tanti non est ingenium tuum,  
 5 Momentum vt horae pereat officiis meis.  
 Non ergo causa est manibus id tangi tuis,  
 Quod occupatis auribus non conuenit.  
 Fortasse dices: Aliquae venient feriae,  
 10 Quae me soluto pectore ad studium vocent.  
 Legesne, quaeso, potius viles naenias,  
 Impendas curam quam rei domesticae,  
 Reddas amicis tempora, vxori vaces,  
 Animum relaxes, otium des corpori,  
 Vt adfuetam fortius praestes vicem?  
 15 Mutandum tibi propositum est, et vitae genus,  
 Intrare si Musarum limen cogitas.  
 Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,  
 In quo tonanti sancta Mnemosyne Ioui,  
 Fecunda nouies, artium peperit chorum,  
 Quam-





Quamuis in ipsa natus sim paene schola, 20  
Curamque habendi penitus corde eraferim,  
Et laude inuita vitam in hanc incubuerim,  
Fastidiose tamen in coetum recipior.  
Quid credis illi accidere, qui magnas opes  
Exaggerare quaerit omni vigilia, 25  
Docto labori dulce praeponens lucrum?  
Sed iam, quodcumque fuerit (vt dixit Sinon,  
Ad regem cum Dardaniae perductus foret)  
Librum exarabo tertium Aesopi stilo,  
Honori et meritis dedicans illum tuis. 30  
Quem si leges, laetabor: sin autem minus,  
Habebunt certe, quo se oblectent, posteri.  
Nunc, fabularum cur sit inuentum genus,  
Breui docebo. Seruitus obnoxia  
Quia, quae volebat, non audebat dicere, 35  
Adfectus proprios in fabellas transtulit,  
Calumniamque fictis elusit iocis.  
Ego porro illius semitam feci viam,  
Et cogitavi plura, quam reliquerat,  
In calamitatem deligens quaedam meam. 40  
Quod si accusator alius Seiano foret,  
Si testis alius, iudex alius denique:  
Dignum faterer esse me tantis malis,  
Nec his dolorem delenirem remedii.  
Suspicione si quis errabit sua, 45

Et



Et rapiet ad se, quod erit commune omnium:  
 Stulte nudabit animi conscientiam.  
 Huic excusatum me velim nihilo minus.  
 Neque enim notare singulos mens est mihi,  
 50 Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.

Rem me profesum dicet fors aliquis grauem.  
 Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scythae  
 Aeternam famam condere ingenio suo:  
 Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,  
 55 Cur somno inertis deferam patriae decus?  
 Threïssa cum gens numeret auctores suos,  
 Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,  
 Qui saxa cantu mouit, et domuit feras,  
 Hebrique tenuit impetus dulci mora.

60 Ergo hinc abesto, liuor, ne frustra gemas:  
 Quoniam sollempnis mihi debetur gloria.  
 Induxi te ad legendum: sincerum mihi,  
 Candore noto, reddas iudicium, peto.

### FAB. I.

## ANVS AD AMPHORAM.

Anus iacere vidit epotam amphoram,  
 Adhuc, Falerna faece, e testa nobili,  
 Odorem quae iucundum late spargeret.  
 Hunc postquam totis auida traxit naribus:

① suavis anima, quale in te dicam bonum  
 Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae?  
 Hoc quo pertineat, dicet, qui me nouerit.

## FAB. II.

## PANTHERA ET PASTORES.

Solet a despectis par referri gratia.

Panthera imprudens olim in foueam de-  
cidit:

Videre agrestes; alii fustes congerunt.  
 Alii onerant saxis. Quidam contra miseriti,  
 Periturae quippe; quamuis nemo laederet,  
 Misere panem, ut sustineret spiritum.  
 Nox infecuta est, abeunt securi domum,  
 Quasi inuenturi mortuam postridie.  
 At illa, vires ut refecit languidas,  
 Veloci saltu fouea sese liberat,  
 Et in cubile concito properat gradu.  
 Paucis diebus interpositis, prouolat,  
 Pecus trucidat, ipsos pastores necat,  
 Et, cuncta vastans, faeuit irato impetu.  
 Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant,  
 Damnum haud recusant, tantum pro vita  
 rogant.

At illa: memini, qui me laxo petierint,

Qui





Qui panem dederint ; vos timere abssistite ,  
 Illis reuertor hostis , qui me laeserant .

## FAB. III.


## AESOPVS ET RVSTICVS.

Vsu peritus hariolo velocior  
 Vulgo esse fertur : causa sed non dicitur ,  
 Notescet quae nunc primum fabella mea .

Habenti cuidam pecora pepererunt oues  
 5 Agnos humano capite . Monstro exterritus ,  
 Ad consulendos currit moerens hariolos .  
 Hic pertinere ad domini respondet caput ,  
 Et auertendum victima periculum :  
 Ille autem adfirmat , coniugem esse adulte-  
 ram ,

10 Et insitios significari liberos ;  
 Sed expiari posse maiori hostia .  
 Quid multa ? variis disident sententiis ,  
 Hominisque curam cura maiore adgrauant .  
 Aesopus , ibi stans , naris emunctae senex ,  
 15 Natura nunquam verba cui potuit dare ,  
 Si procurare vis ostentum , rustice ,  
 Vxores , inquit , da tuis pastoribus .

FAB.



## FAB. IV.

## SIMII CAPVT.

Pendere ad lanium quidam vidit simium  
 Inter reliquias merces, atque obsonia.  
 Quaesuit, quidnam saperet. Tum lanius  
 iocans,

Quale, inquit, caput est, talis praestatur  
 sapor.

Ridicule magis hoc dictum, quam vere, §  
 aestimo:

Quando et formosos saepe inueni pessimos,  
 Et, turpi facie, multos cognoui optimos.

## FAB. V.

## AESOPVS ET PETVLANS.

Succesus ad perniciem multos deuocat.  
 Aesopo quidam petulans lapidem impe-  
 gerat.

Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi  
 dedit,

Sic profecutus: Plus non habeo mehercule,  
 Sed, vnde accipere possis, monstrabo tibi. §

Venit ecce diues et potens; huic similiter  
 Impinge lapidem, et dignum accipies prae-  
 mium.

Phaedrus.

C

Per-



Peruafus ille, fecit, quod monitus fuit.  
 Sed spes fefellit impudentem audaciam.  
 10 Comprehensus namque poenas perfoluit  
 cruce.

## FAB. VI.

## MVSCA ET MVLA.

Musca in temone fedit, et, mulam incre-  
 pans,

Quam tarda es? inquit, non vis citius pro-  
 gredi?

Vide, dolone ne collum pungam tibi.

Respondit illa: verbis non moueor tuis;

5 Sed istum timeo, sella qui prima fedens  
 Iugum flagello temperat lento meum,  
 Et ora frenis continet spumantibus.

Quapropter aufer friuolam insolentiam.

Namque, vbi strigandum est, et vbi curren-  
 dum scio.

10 Hac derideri fabula merito potest,  
 Qui sine virtute vanas exercet minas.


## FAB. VII.

## CANIS ET LVPVS.


Quam dulcis sit libertas, breuiter proloquar.  
 Cani perpaſto macie confectus lupus

Forte





Forte occurrit: dein salutant in vicem:  
Ut restiterunt, Vnde sic, quaeso, nites?  
Aut quo cibo fecisti tantum corporis? 5  
Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.  
Canis simpliciter: eadem est conditio tibi,  
Praestare domino si par officium potes.  
Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis,  
A furibus tuearis et noctu domum. 10  
Ego vero sum paratus: nunc patior niues  
Imbresque, in siluis asperam vitam trahens,  
Quanto est facilius mihi, sub tecto viuere,  
Et otiosum largo fatiari cibo?  
Veni eigo mecum. Dum procedunt, ad- 15  
spicit  
Lupus a catena collum detritum canis.  
Vnde hoc, amice? Nihil est. Dic, quaeso,  
tamen.  
Quia videor acer, adligant me interdiu,  
Luce ut quiescam, et vigilem, nox cum ve-  
nerit:  
Crepusculo solutus, qua visum est, vago. 20  
Adfertur vltro panis: de mensa sua  
Dat ossa dominus: frustra iactat familia,  
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium.  
Sic sine labore venter impletur meus.  
Age, si quo est abire animus, est licentia. 25  
C 2 Non



Non plane est, inquit. Fruere, quae laudas,  
canis.

Regnare nolo, liber ut non sum mihi.

FAB. VIII.

FRATER ET SOROR.

Praecepto monitus, saepe te considera.

Habebat quidam filiam turpissimam,

Idemque insigni et pulchra facie filium.

Hi speculum, in cathedra matris ut positum  
fuit,

5 Pueriliter ludentes, forte inspexerant.

Hic se formosum iactat; illa irascitur,

Nec gloriantis sustinet fratris iocos,

Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.

Ergo ad patrem decurrit, laesura in vicem,

20 Magnaque invidia criminatur filium,

Vir natus quod rem feminarum tetigerit.

Amplexus ille utrumque, et carpens oscula,

Dulcemque in ambos caritatem partiens,

Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:

15 Tu formam ne corrumpas nequitiae malis:

Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

FAB.

## FAB. IX.

## SOCRATES AD AMICOS.

Vulgare amici nomen; sed rara est fides.  
 Cum paruas aedes sibi fundasset Socrates,  
 (Cuius non fugio mortem, si famam adse-  
 quar,

Et cedo inuidiae, dum modo absoluar cinis)

E populo sic, nescio quis, ut fieri solet: §

Quaeso, tam angustam, talis vir, ponis do-  
 mum?

Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam?

## FAB. X.

POETA DE CREDERE ET  
NON CREDERE.

Periculosum est credere, et non credere.

Vtriusque exemplum breuiter exponam rei.

Hippolytus obiit, quia nouercae creditum est.

Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.

Ergo exploranda est veritas multum, prius §

Quam stulta prae iudicet sententia.

Sed fabulosam ne vetustatem eleuent,


Narrabo tibi memoria quod factum est mea.

Maritus quidam cum diligeret coniugem,


C §

To-





- 10 Togamque puram iam pararet filio,  
 Seductus in secretum a liberto suo,  
 Sperante, heredem suffici se proximum.  
 Qui, cum de puero multa mentitus foret,  
 Et plura de flagitiis castae mulieris,
- 15 Adiecit id, quod sentiebat maxime  
 Doliturum amanti, ventitare adulterum,  
 Stuproque turpi pollui famam domus.  
 Incensus ille falso vxoris crimine,  
 Simulauit iter ad villam, clamque in oppido
- 20 Subsedit: deinde noctu subito ianuam  
 Intrauit, recta cubiculum vxoris petens,  
 In quo dormire mater natum iusserat,  
 Aetatem adultam seruans diligentius.  
 Dum quaerunt lumen, dum concurrant fa-  
 milia,
- 25 Irae furentis impetum non sustinens,  
 Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.  
 Vt sentit tonsum, gladio pectus transigit,  
 Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.  
 Lucerna adlata, simul adspexit filium,
- 30 Sanctamque vxorem dormientem cubiculo,  
 Sopita primo quae nil somno senserat:  
 Repraesentauit in se poenam facinoris,  
 Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.  
 Accusatores postularunt mulierem,



Romamque pertraxerunt ad centumuiros. 35

Maligna infontem deprimit suspicio,

Quod bona possideat: stant patroni, fortiter

Causam tuentes innocentis feminae.

A diuo Augusto tunc petiere iudices,

Vt adiuuaret iurisiurandi fidem, 40

Quod ipsos error implicuisset criminis.

Qui postquam tenebras dispulit calumniae,

Certumque fontem veritatis reperit,

Luat, inquit, poenas causa libertus mali.

Namque orbam nato, simul et priuatam 45

virō,

Miserandam potius, quam damnandam exi-

stimo.

Quod si damnanda perscrutatus crimina 51

Paterfamilias esset, si mendacium

Subtiliter limasset: a radicibus

Non euertisset scelere funesto domum. 50

Nil spernat auris, nec tamen credat statim:

Quandoquidem et illi peccant, quos mini-  
me putes;

Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Hoc admonere simplices etiam potest,

Opinione alterius ne quid ponderent. 55

Ambitio namque disfidens mortalium

Aut gratiae subscribit, aut odio suo.



Erit ille notus, quem per te cognoueris.  
 Haec exsecutus sum propterea pluribus,  
 60 Breuitate nimia quoniam quosdam offendimus.

## FAB. XI.

## EVNUCHVS AD IMPROBVM.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,  
 Qui, super obscena dicta et petulans iur-  
 gium,  
 Damnum infectatus est amissi corporis.  
 En, ait, hoc vnum est, cur laborem validius,  
 § Integritatis testes quia desunt mihi.  
 Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?  
 Id demum est homini turpe, quod meruit  
 pati.

## FAB. XII.

## PULLVS AD MARGARITAM.

In stercolino pullus gallinaceus  
 Dum quaerit escam, margaritam reperit.  
 Iaces indigno, quanta res, inquit, loco?  
 Te si quis pretii cupidus vidisset tui,  
 § Olim redisses ad splendorem maximum.  
 Ego qui te inueni, potior cui multo est ci-  
 bus?

Nec



Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.  
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

## FAB. XIII.

APES ET FUCI VESPA  
IUDICE.

Apes in alta quercu fecerant fauos.  
Hos fuci inertes esse dicebant suos.  
Lis ad forum deducta est, vespa iudice.  
Quae genus vtrumque nosset cum pulcher-  
rime,

Legem duabus hanc proposuit partibus.  
Non inconueniens corpus, et par est color,  
In dubium plane res vt merito venerit.  
Sed ne religio peccet imprudens mea,  
Aluos accipite, et ceris opus infundite.  
Vt ex sapore mellis, et forma faui,  
De quis nunc agitur, auctor horum appa-  
reat.

Fuci recusant, apibus conditio placet.  
Tunc illa talem protulit sententiam:  
Apertum est, quis non possit, aut quis fe-  
cerit.

Quapropter apibus fructum restituo suum, 16  
Hanc praeterissem fabulam silentio,  
Si pactam fuci non recusassent fidem.



FAB. XIV.  
AESOPVS LVDENS.

Puerorum in turba quidam ludentem At-  
ticus

Aesopum nucibus cum vidisset, restitit,  
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul  
Derisor potius, quam deridendus senex,  
5 Arcum retensum posuit in media via:  
Heus, inquit, sapiens, expedi, quid fecerim.  
Concurrit populus: ille se torquet diu,  
Nec quaestionis positae causam intelligit;  
Novissime succumbit. Tum victor sophus:  
10 Cito rumpes arcum, semper si tensum ha-  
bueris;

At si laxaris, cum voles, erit utilis.

Sic ludus animo debet aliquando dari.


Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FAB. XV.

CANIS AD AGNVM.

Inter capellas agno balanti canis,  
Stulte, inquit, erras, non est hic matertua:  
Ouesque segregatas ostendit procul.  
Non illam quaero, quae, cum libitum est,  
concepit,

Dein



Dein portat onus ignotum certis mensibus, 5  
Nouissime prolapsam effundit sarcinam;  
Verum illam, quae me nutrit admoto vberē,  
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.  
Tamen illa est potior, quae te peperit. Non  
ita est.

Vnde illa sciuit, niger, an albus nascerer? 10  
Age porro, scisfet: cum crearer masculus,  
Beneficium magnum sane natali dedit,  
Vt expectarem lanium in horas singulas.  
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,  
Cur hac sit potior, quae iacentis miserita est, 15  
Dulcemque sponte praestat beneuolentiam?  
Facit parentes bonitas, non necessitas.  
His demonstrare voluit auctor versibus,  
Obsistere homines legibus, meritis capi.

## FAB. XVI.

## CICADA ET NOCTVA.

Humanitati qui se non accommodat,  
Plerumque poenas appetit superbiae.  
Cicada acerbum noctuae conuicium  
Faciebat, solitae victum in tenebris quae-  
rere,  
Cauoque ramo capere somnum interdiu. 5  
Rogata est, vt taceret. Multo validius  
Cla-





Clamare coepit. Rursus admota prece,  
 Accensa magis est. Noctua, vt vidit, sibi  
 Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,  
 10 Hac est adgressa garrulam fallacia,  
 Dormire quia me non sinunt cantus tui,  
 Sonare cithara quos putes Apollinis:  
 Potare est animus nectar, quod Pallas mihi  
 Nuper donauit; si non fastidis, veni,  
 15 Vna bibamus. Illa, quae ardebat siti,  
 Simul cognouit, vocem laudari suam,  
 Cupide aduolauit. Noctua, egressa e cauo,  
 Trepidantem confectata est, et leto dedit.  
 Sic, viua quod negarat, tribuit mortua.

## FAB. XVII.

ARBORES IN DEORVM  
TUTELA.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,  
 Diui legerunt arbores. Quercus Ioui,  
 Et myrtus Veneri placuit, Phoebos laurea:  
 Pinus Cybebae, populus celsa Herculi.  
 3 Minerua admirans, quare steriles fumerent,  
 Interrogauit. Causam dixit Iupiter:  
 Honorem fructu ne videamur vendere.  
 At mehercules narrabit, quod quis voluerit,  
 Oliua nobis propter fructum est gratior.

Tunc



Tunc sic deorum genitor, atque hominum 10  
fator:

O nata, merito sapiens dicere omnibus;  
Nisi utile est, quod facimus, stulta est  
gloria.

Nihil agere, quod non proffit, fabella ad-  
monet.

## FAB. XVIII.

## PAVO AD IVNONEM.

Pavo ad Iunonem venit, indigne ferens,  
Cantus luscini quod sibi non tribuerit:

Illum esse cunctis auribus admirabilem,

Se derideri, simul ac vocem miserit.

Tunc, consolandi gratia, dixit dea:

Sed forma vincis, vincis magnitudine,

Nitor zmaragdi collo praefulget tuo,

Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.

Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor  
sono?

Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae: 10


Tibi forma, vires aquilae, luscini melos,

Augurium coruo, laeva cornici omina,

Omnes quae propriis sunt contentae dotibus.

Noli adfectare, quod tibi non est datum,

Delusa ne spes ad querelam recidat.



## FAB. XIX.

## AESOPVS AD GARRVLVM.

Aesopus domino, solus cum esset familia,  
Parare coenam iussus est maturius.

Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit do-  
mus,

Tandemque inuenit, vbi lucernam accen-  
deret.

5 Tum circueunti fuerat quod iter longius,  
Effecit breuius: namque recta per forum.

Coepit redire. Et quidam e turba garrulus:  
Aesope, medio sole, quid cum lumine?

Hominem, inquit, quaero, et abiit festi-  
nans domum.

10 Hoc si molestus ille ad animum retulit,  
Sensit profecto, se hominem non visum seni,  
Intempestiue qui occupato adluserit.

## FAB. XX.

## ASINVS ET GALLI.

Qui natus est infelix, non vitam modo  
Tristem decurrit; verum post obitum quo-  
que

Persequitur illum dura fati miseria.


Galli Cybebes circum quaestus ducere

Asi-





Asinum solebant, baiulantem farcinas. 5  
 Is cum labore et plagis esset mortuus,  
 Detracta pelle, sibi fecerunt tympana.  
 Rogati mox a quodam, delicio suo  
 Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:  
 Putabat se post mortem securum fore; 10  
 Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.



## PHAEDRI LIBER QVARTVS.

---

FAB. I.

DE MVSTELA ET MV-  
 RIBVS.

**I**oculare tibi videtur: et sane leui,  
 Dum nihil habemus maius, calamo ludimus. 2  
 Sed diligenter intuere has naenias:  
 Quantam sub illis vtilitatem reperies?  
 Non semper ea sunt, quae videntur; de- 5  
 cipit

Frons prima multos: rara mens intelligit,  
 Quod interiore condidit cura angulo.  
 Hoc ne locutus sine mercede existimer,

Fabel-



Fabellam adiiciam de mustela et muribus.  
 20 Mustela, cum, annis et senecta debilis,  
 Mures veloces non valeret adsequi,  
 Inuoluit se farina, et obscuro loco  
 Abiecit negligenter. Mus, escam putans,  
 Adsiluit, et compressus occubuit neci:  
 15 Alter similiter, deinde periit tertius.  
 Aliquot secutis, venit et retorridus,  
 Qui saepe laqueos et muscipula effugerat,  
 Proculque insidias cernens hostis callidi,  
 Sic valeas, inquit, vt farina es, quae iaces.

## FAB. II.

## VVLPIS ET VVA.

Fame coacta vulpis alta in vinea  
 Vuam adpetebat, summis saliens viribus.  
 Quam tangere vt non potuit, discedens ait:  
 Nondum matura est; nolo acerbam fumere.  
 5 Qui, facere quae non possunt, verbis  
 eleuant,  
 Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

## FAB. III.

## EQVVS ET APER.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,  
 Dum sese aper volutat, turbauit vadum.  
 Hinc



Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,  
Auxilium petiit hominis: quem dorso le-  
uans,

Redit ad hostem. Iactis hunc telis eques 3

Postquam interfecit, sic locutus traditur:

Laetor, tulisse auxilium me precibus tuis:

Nam praedam cepi, et didici, quam sis uti-  
lis.

Atque ita coëgit frenos inuitum pati.

Tum moestus ille: Paruae vindictam rei 10

Dum quaero demens, seruitutem reperi.

Haec iracundos admonebit fabula,

Impune potius laedi, quam dedi alteri.

#### FAB. IV.

### P O E T A.

Plus esse in vno saepe, quam in turba,  
boni,

Narratione posteris tradam breui.

Quidam decedens tres reliquit filias:

Vnam formosam, et oculis venantem viros;

At alteram lanificam, frugi et rusticam;

Deuotam vino tertiam, et turpissimam.

Harum autem matrem fecit heredem senex,

Sub conditione, totam vt fortunam tribus

*Pbaedrus.*

*D*

*Aequa-*





Aequaliter distribuat, sed tali modo:

20 Ne data possideant, aut fruantur; tum  
simul

Habere res desierint, quas acceperint,  
Centena matri conferant sestertia.

Athenas rumor implet. Mater sedula

Iuris peritos consulit: nemo expedit,

15 Quo pacto non possideant, quod fuerat da-  
tum,

Fructumue capiant; deinde, quae tulerint  
nihil,

Quanam ratione conferant pecuniam.

Postquam consumpta est temporis longi mora,

Nec testamenti potuit sensus colligi:

20 Fidem aduocauit, iure neglecto, parens.

Seponit moechae vestem, mundum mulie-  
brem,

Lauationem argenteam, eunuchos, glabros:

Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,

Boues, iumenta, et instrumentum rusticum:

25 Potrici plenam antiquis apothecam cadis,

Domum politam, et delicatos hortulos.

Sic destinata dare cum vellet singulis,

Et adprobaret populus, qui illas nouerat:

Aesopus media subito in turba constitit;

30 O si maneret condito sensus patri,

Quam

Quam grauius ferret, quod voluntatem  
suam

Interpretari non potuissent Attici!

Rogatus deinde, soluit errorem omnium.

Domum et ornamenta, cum venustis hortu-  
lis,

Et vina vetera date lanificae rusticae: 35

Vestem, vniones, pedisequos, et cetera

Illi assignate, vitam quae luxu trahit:

Agros, vites, et pecora cum pastoribus

Donate moechae. Nulla poterit perpeti,

Vt moribus quid teneat alienum suis. 40

Deformis cultum vendet, vt vinum petat:

Agros abiiciet moecha, vt ornatum paret:

At illa gaudens pecore, et lanae dedita,

Quacunq; summa tradet luxuriae domum.

Sic nulla possidebit, quod fuerit datum, 45

Et dictam matri conferent pecuniam

Ex pretio rerum, quas vendiderint, singulae.

Ita, quod multorum fugit imprudentiam,

Vnius hominis reperit follertia.



FAB. V.

**PVGNA MVRIVM ET MV-  
STELARVM.**

Cum victi mures mustelarum exercitu

(Historia quorum in tabernis pingitur)

Fugerent, et artos circum trepidarent cauos;

Aegre recepti, tamen euaserunt necem.

§ Duces eorum, qui capitibus cornua

Suis ligarant, vt conspicuum in proelio

Haberent signum, quod sequerentur, missi

tes,

Haesere in portis, suntque capti ab hostibus.

Quos immolatos victor audis dentibus

10 Capaci alui misit tartareo specu.

Quemcunque populum tristis euentus pro-

mit,

Periclitatur magnitudo principum;

Minuta plebes facili praesidio latet.

FAB. VI.


**P O E T A.**

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea,

Et hoc iocorum legere fastidis genus,

Paro






Parua libellum fustine patientia ,  
Seueritatem frontis dum placo tuae,  
Et in cothurnis prodit Aesopus nouis. 5  
Vtinam nec vnquam Pelii nemoris iugo  
Pinus bipenni concidisfet Thesfala!  
Nec ad profesae mortis audacem viam  
Fabricasset Argus opere Palladio ratem!  
Inhospitalis prima quae Ponti sinus 10  
Patefecit, in perniciem Graium, et barba-  
rum.

Namque et superbi luget Aeëtae domus,  
Et regna Peliae scelere Medae iacent:  
Quae, saeuum ingenium variis inuoluens mo-  
dis,

Illic per artus fratris explicuit fugam; 15  
Hic caede patris Peliadum infecit manus.  
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est,  
ais,

Falsoque dictum: longe quia vetustior  
Aegea Minos classe perdomuit freta,  
Iustoque vindicauit exemplo impetum. 20  
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,  
Si nec fabellae te iuuant, nec fabulae?  
Noli molestus esse omnino litteris,  
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.



35 Hoc illis dictum est, si qui stulti nause-  
ant,  
Et, vt putentur sapere, coelum vituperant.

FAB. VII.

VIPERA ET LIMA.

Mordaciorem qui improbo dente adpetit,  
Hoc argumento se describi sentiat.

In officinam fabri venit vipera:

Haec cum tentaret, si qua res esset cibi,  
Limam momordit. Illa contra contumax,

Quid me, inquit, stulta, dente captas lae-  
dere,

Omne adfueui ferrum quae corrodere?

FAB. VIII.

VULPES ET HIRCUS.

Homo, in periculum simul ac venit, calli-  
dus

Effugium reperire alterius quaerit malo.

Cum decidisset vulpis in puteum inscia,

Et altiore clauderetur margine:

Deuenit hircus sitiens in eundem locum,  
Simul rogauit, esset an dulcis liquor,

Et

Et copiosus. Illa, fraudem moliens:  
 Descende, amice, tanta bonitas est aquae,  
 Voluptas ut satiari non possit mea.  
 Immisit se barbatus. Tum vulpecula 10  
 Euasit puteo, nixa celsis cornibus,  
 Hircumque clauso liquit haerentem vado.

## FAB. IX.

## DE VITIIS HOMINVM.

Peras imposuit Iupiter nobis duas:  
 Propriis repletam vitiis post tergum dedit;  
 Alienis ante pectus suspendit gravem.  
 Hac re videre nostra mala non possumus:  
 Alii simul delinquant, censores sumus. 5

## FAB. X.

## FVR ARAM COMPILANS.

Lucernam fur accendit ex ara Iouis,  
 Ipsumque compilauit ad lumen suum.  
 Onustus sacrilegio cum discederet,  
 Repente vocem sancta misit religio:  
 Malorum quamuis ista fuerint munera,  
 Mihique inuisa, ut non offendar subripi;  
 Tamen, sceleste, spiritu culpam lues.





Olim cum adscriptus venerit poenae dies,  
 Sed, ne ignis noster facinori praeluceat,  
 80 Per quem verendos excolit pietas deos,  
 Veto esse tale luminis commercium.

Ita hodie, nec lucernam de flamma deum,  
 Nec de lucerna, fas est, accendi sacrum.

Quot res contineat hoc argumentum vti-  
 les,

85 Non explicabit alius, quam qui reperit,  
 Significat primo, saepe, quos ipse alueris,  
 Tibi inueniri maxime contrarios:

Secundo ostendit, scelera non ira deum,  
 Fatorum dicto sed puniri tempore:

90 Nouissime interdicit, ne cum malefico  
 Vsum bonus consociet vllius rei.

## FAB. XI.

### MALAS ESSE DIVITIAS.

Opes iniustae merito sunt forti viro,

Quia diues arca veram laudem intercipit.

Coelo receptus propter virtutem Hercules,

Cum gratulantes persalutasset deos,

95 Veniente Pluto, qui Fortunae est filius,

Auertit oculos. Causam quaesivit pater:

Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,

Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

FAB.

FAB. XII.  
LEO REGNANS.

Vtilis homini nihil est, quam recte loqui;  
 Probanda cunctis est quidem sententia,  
 Sed ad perniciem solet agi sinceritas.  
 Cum se ferarum regem fecisset leo,  
 Et aequitatis vellet famam consequi,  
 A pristina deflexit consuetudine,  
 Atque inter illas tenui contentus cibo,  
 Sancta incorrupta iura reddebat fide.  
 Postquam labare coepit poenitentia,

FAB. XIII.

Adfitione veretri linguam mulieris,  
 Adfinitatem traxit inde obscenitas.

FAB. XIV.

PROMETHEVS.

Rogavit alter, tribadas et molles mares  
 Quae ratio procreasset: exposuit senex.  
 Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,  
 Qui, simul offendit ad fortunam, frangitur,  
 Naturae partes, veste quas celat pudor,

D ;

Cum



Cum separatim toto finxisset die,  
 Aptare mox vt posset corporibus suis,  
 Ad coenam est inuitatus subito a Libero.  
 Vbi irrigatus multo venas nectare,  
 10 Sero domum est reuersus titubanti pede.  
 Tum semisomno corde, et errore ebrio,  
 Adplicuit virginale generi masculino,  
 Et masculina membra adplicuit feminis.  
 Ita nunc libido prauo fruitur gaudio.

## FAB. XV.

## CAPELLAE ET HIRCI.

Barbam capellae cum impetrassent ab Ioue,  
 Hirci moerentes indignari coeperant,  
 Quod dignitatem feminae aequassent suam.  
 Sinite, inquit, illas gloria vana frui,  
 Et vsurpare vestri ornatum muneris,  
 Pares dum non sint vestrae fortitudinis.  
 Hoc argumentum monet, vt sustineas tibi  
 Habitu esse similes, qui sunt virtute impa-  
 res.

## FAB. XVI.

## GVBERNATOR ET NAVTAE.

Cum de fortunis quidam quereretur suis,  
 Aesopus finxit consolandi gratia.

Ve-



Vexata faevis naus tempestatibus,  
 Inter vectorum lacrimas, et mortis metum,  
 Faciem ad serenam subito mutato die,  
 Ferri secundis tuta coepit flatibus,  
 Nimiaque nautas hilaritate extollere.  
 Factus periclo tum gubernator sophus:  
 Parce gaudere oportet, et sensim queri,  
 Totam quia vitam miscet dolor, et gau-  
 dium.

## FAB. XVII.

CANVM LEGATI AD  
IOVEM.

Canes legatos olim misere ad Iouem,  
 Melioris vitae tempus oratum suae,  
 Ut sese abriperet hominum contumeliis:  
 Furfuribus sibi conspersum quod panem da-  
 rent,  
 Fimoque turpi maximam explerent famem.  
 Profecti sunt legati non celeri pede,  
 Dum naribus scrutantur escam in stercore.  
 Citati non respondent. Vix tandem inuenit  
 Eos Mercurius, et turbatos adtrahit.  
 Tum vero, vultum magni vt viderunt Iouis,  
 Totam timentes concacarunt regiam.

Pro-



Propulsi vero fustibus, vadunt foras:  
 Vetat dimitti magnus illos Iupiter.  
 Mirati, sibi legatos non reuertier,  
 15 Turpe aestimantes aliquid commissum a suis.  
 Post aliquod tempus alios adscribi iubent.  
 Rumor legatos superiores prodidit.  
 Timentes, rursus aliquid ne simile accidat,  
 Odore canibus anum, sed multo, replent:  
 20 Mandata dant, legati mittuntur, statim  
 Adeunt. Rogantes aditum, continuo impe-  
 trant.  
 Confedit genitor tum deorum maximus,  
 Quasatque fulmen, tremere coepere omnia.  
 Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,  
 25 Repente odorem mixtum cum merdis cacant.  
 Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.  
 Sic est locutus ante poenam Iupiter:  
 Non est legatos regis non dimittere,  
 Nec est difficile, poenas culpaе imponere,  
 30 Sed hoc feretis pro iudicio praemium:  
 Non veto dimitti, verum cruciari fame,  
 Ne ventrem continere non possint suum,  
 Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,  
 Nunquam carebunt hominis contumelia.  
 35 Ita nunc legatos expectant et posteri:  
 Nouumque venire qui videt, culum olfacit.



FAB. XVIII.

## HOMO ET COLVBRA.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.

Gelu rigentem quidam colubram fustulit,  
Sinuque fuit, contra se ipse misericors.

Namque vt refecta est, necuit hominem pro-  
tinus.

Hanc alia cum rogaret causam facinoris, §

Respondit: Ne quis discat prodesse impro-  
bis.

FAB. XIX.

## VVLPI S ET DRACO.

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,

Agitque plures altius cuniculos,

Peruenit ad draconis speluncam intimam,

Custodiebat qui thesauros abditos.

Hunc simul adspexit: Oro, vt imprudentiae §

Des primum veniam; deinde, si pulchre vi-  
des,

Quam non conueniens aurum sit vitae meae,

Respondeas elementer, quem fructum capis

Hoc ex labore, quodue tantum est praemi-

Vt





10 Vt careas fomno, et aeuum in tenebris exi-  
gas?

Nullum, inquit ille: verum hoc a summo  
mihi

Ioue attributum est. Ergo nec sumis tibi,

Nec vlli donas quicquam? Sic fatis placet.

Nolo irascaris, libere si dixerō:

15 Dis est iratis natus, qui est similis tibi.

## POETA.

Abiturus illuc, quo priores abierunt,

Quid mente caeca miserum torques spiritum?

Tibi dico, auare, gaudium heredis tui,

Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo:

20 Qui tristis audis musicum citharae sonum,

Quem tibi arum macerat iocunditas,

Obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt:

Qui, dum quadrantibus adgeras patrimonio,

Coelum fatigas fordido periurio:

25 Qui circumcidis omnem impensam funeri,

Libitina ne quid de tuo faciat lucrum,

## FAB. XX.

## PHAEDRVS.

Quid iudicare cogitet liuor modo,

Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo,

Quid-

Quidquid putabit esse dignum memoriae,  
 Aesopi dicet: si quid minus adriserit,  
 A me contendet fictum quouis pignore.  
 Quem volo refelli iam nunc responso meo:  
 Siue hoc ineptum, siue laudandum est opus,  
 Inuenit ille, nostra perfecit manus.  
 Sed exsequamur coeptum propositi ordinem.

## FAB. XXI.

## NAVRAGIVM SIMONIDIS.

Homo doctus in se semper diuitias habet.  
 Simonides, qui scripsit egregium melos,  
 Quo paupertatem sustineret facilius,  
 Circuire coepit vrbes Asiae nobiles,  
 Mercede accepta laudem victorum canens.  
 Hoc genere quaestus postquam locuples factus  
 est,

Venire in patriam voluit cursu pelagio.  
 (Erat autem natus, vt aiunt, in Cea insula)  
 Adscendit nauem, quam tempestas horrida  
 Simul et vetustas medio dissoluit mari.  
 Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,  
 Subsidium vitae. Quidam curiosior,  
 Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?  
 Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pau-  
 ci enatant,

Quia



- 25 Quia plures onere degrauiati perierunt.  
 Praedones adfunt, rapiunt quod quisque ex-  
 tulit,  
 Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope  
 Antiqua fuit vrbs, quam petierunt naufragi.  
 Hic litterarum quidam studio deditus,  
 30 Simonidis qui saepe versus legerat,  
 Eratque absentis admirator maximus,  
 Sermone ab ipso cognitum cupidissime  
 Ad se recepit, veste, numis, familia  
 Hominem exornauit. Ceteri tabulam suam  
 35 Portant, rogantes victum. Quos casu ob-  
 uios  
 Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea  
 Mecum esse cuncta? vos quod rapuistis, pe-  
 rit.

## FAB. XXII.

## MONS PARTVRIENS.

1. Mons parturibat, gemitus immanes ciens,  
 Eratque in terris maxima expectatio.  
 At ille murem peperit. Hoc scriptum est  
 tibi,  
 Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

FAB.





FAB. XXIII.

## FORMICA ET MUSCA.

Formica et musca contendebant acriter,  
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:  
Conferre nostris tu potes te laudibus?  
Vbi immolatur, exta praegusto deum,  
Moror inter aras, templa, perlustro omnia. 9  
In capite regis sedeo, cum visum est mihi,  
Et matronarum casta delibo oscula;  
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.  
Quid horum simile tibi contingit, rustica?  
Est gloriosus sane conuictus deum, 10  
Sed illi, qui inuitatur, non qui inuisus est.  
Reges commemoras, et matronarum oscula:  
Ego granum in hiemem cum studiose con-  
gero,  
Te circa murum pasci video stercore.  
Aras frequentas: nempe abigeris, quo ve- 11  
nis.  
Nihil laboras, ideo, cum opus est, nihil ha-  
bes.  
Superba iactas, tegere quod debet pudor.  
Aestate me lacescis; cum bruma est, files.  
Mori contractam cum te cogunt frigora,  
Me copiosa recipit incolumem domus, 20  
Phaedrus. E Sa-



Satis profecto retudi superbiam.


Fabella talis hominum discernit notas  
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,  
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

FAB. XXIV.

SIMONIDES A DIIS SERVATVS.

Quantum valerent inter homines litterae,  
Dixi superius: quantus nunc illis honos  
A superis sit tributus, tradam memoriae.  
Simonides idem ille, de quo retuli,  
Victori laudem cuidam pyctae vt scriberet,  
Certo conduxit pretio: secretum petit.  
Exigua cum frenaret materia impetum,  
Vfus poëtae, vt moris est, licentia,  
Atque interposuit gemina Ladae sidera,  
Auctoritatem similis referens gloriae.  
Opus adprobavit, sed mercedis tertiam  
Acceptit partem. Cum reliquum posceret,  
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis  
duae.  
Verum, vt ne irate dimissum te sentiam,  
Ad coenam mihi promitte, cognatos volo  
Hodie inuitare, quorum es in numero mihi.

Frau.



Fraudatus quamuis, et dolens iniuria,  
Ne male dimissus gratiam corrumperet,  
Promisit, rediit hora dicta, recubuit.  
Splendebat hilare poculis conuiuium; 20  
Magno adparatu laeta resonabat domus:  
Duo cum repente iuuenes, sparsi puluere,  
Sudore multo diffuentes, corpore  
Humanam supra formam, cuidam seruulo  
Mandant, vt ad se prouocet Simonidem, 25  
Illius interesse, ne faciat moram.  
Homo perturbatus excitat Simonidem.  
Vnum promorat vix pedem triclinio,  
Ruina camarae subito opprescit ceteros,  
Nec vlli iuuenes sunt reperti ad ianuam. 30  
Vt est vulgatus ordo narratae rei,  
Omnes scierunt, numinum praesentiam  
Vati dedisse vitam mercedis loco.

## FAB. XXV.

## P O E T A.

Superfunt mihi, quae scribam, sed parco  
sciens:

Primum, esse ne tibi videar molestior,  
Distringit quem multarum rerum varietas;  
Dein, si quis eadem forte conari velit,






- 5 Habere vt possit aliquid operis residuum,  
 Quamuis materiae tanta abundet copia,  
 Labori faber vt desit, non fabro labor.  
 Breuitati nostrae praemium vt reddas, peto,  
 Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.  
 10 Nam vita morti propior est quotidie.  
 Et hoc minus perueniet ad me muneris,  
 Quo plus consumet temporis dilatio,  
 Si cito rem perages, vsus fiet longior,  
 Fruar diutius, si celerius coepero.  
 15 Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,  
 Auxilio locus est: olim senio debilem  
 Frustra adiuuare bonitas nitetur tua,  
 Cum iam deserit esse beneficium vtile,  
 Et mors vicina flagitabit debitum.  
 20 Stultum admouere tibi preces existimo,  
 Procliuis vltro cum sit misericordia,  
 Saepe impetrauit veniam confesus reus:  
 Quanto innocenti iustius debet dari?  
 Tuae prius sunt partes, aliorum dein:  
 25 Similique gyro venient aliorum vices.  
 Decerne quod religio, quod patitur fides,  
 Et gratulari me fac iudicio tuo.  
 Excedit animus, quem proposuit, terminum:  
 Sed difficulter continetur spiritus,  
 30 Integritatis qui sinceræ conicius,



A noxiorum premitur insolentiis.  
 Qui sint, requires. Adparebunt tempore.  
 Ego, quondam legi quam puer sententiam,  
 Palam mutire plebeio piaculum est.  
 Dum fanitas constabit, pulchre meminero. 35



PHAEDRI  
 LIBER QVINTVS.

POETA.

Cum destinasssem operis habere terminum  
 In hoc, vt aliis esset materiae fatis:  
 Consilium tacito corde damnaui *meum*.  
 Nam si quis talis etiam est tituli *artifex*,  
 Quo pacto diuinabit, quidnam omiserim,  
 Vt illud ipsum cupiat famae tradere?  
 Sua cuique cum sit animi cogitatio,  
 Colorque proprius. Ergo non leuitas mihi,  
 Sed certa ratio, causam scribendi dedit.  
 Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis, 10  
 Quas Aesopeas, non Aesopi, nomino,







FAB. I.

DEMETRIVS ET MENAN-  
DER.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,  
Athenas occupavit imperio improbo.  
Vt mos est vulgi, passim et certatim ruunt:  
FELICITER subclamant. Ipsi principes  
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum, §  
Tacite gementes tristem fortunae vicem.  
Quin etiam resides, et sequentes otium,  
Ne defuisse noceat, repunt ultimi.  
In queis Menander, nobilis comoediis,  
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius, 10  
Et admiratus fuerat ingenium viri,  
Vnguento delibutus, vestitu adfluens,  
Veniebat gresu delicato, et languido.  
Hunc vbi tyrannus vidit extremo agmine,  
Quinam cinaedus ille in conspectu meo 15  
Audet venire? responderunt proximi:  
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim.

E 4

FAB.



FAB. II.  
VIATORES ET LATRO.

\* \* \*

Et vindicauit sese forti dextera.

Latrone occiso, timidus accurrit comes,

Stringitque gladium: dein reiecta penula,

Cedo, inquit, illum, iam curabo sentiat,

Quos adtentarit. Tunc qui depugnauerat:

Vellem, istis verbis saltem adiuuisfes modo,

Constantior fuisssem, vera existimans,

Nunc conde ferrum, et linguam parirer futi-  
lem,

Vt possis alios ignorantes fallere.

Ego, qui sum expertus, quantis fugias vi-  
ribus,

Scio, quam virtuti non sit credendum tuae,

Illi adsignari debet haec narratio,

Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

FAB. III.

CALVVS ET MVSCA.

Calui momordit musca nudatum caput:

Quam opprimere captans, alapam sibi duxit  
grauem.

Tunc



Tunc illa inridens: punctum volucris paruu-  
lae

Voluisti morte vlcisci; quid facies tibi,

Iniuriae qui addideris contumeliam?

Respondit: mecum facile redeo in gratiam,

Quia non fuisse mentem laedendi scio;

Sed te, contemti generis animal improbum,

Quae delectaris bibere humanum sanguinem,

Optem necare, vel maiore incommodo. §

Hoc argumentum, veniam mage dari, do-  
cet,

Qui casu peccat, quam qui consilio est noc-  
cens:

Illum esse quavis poena dignum iudico.

#### FAB. IV.

### HOMO ET ASINVS.

Quidam immolasset verrem cum sancto

Herculi,

Cui pro salute votum debebat sua,

Asello iussit reliquias poni hordei.

Quas aspernatus ille, sic locutus est:

Tuum libenter prorsus adpeterem cibum, §

Nisi qui nutritus illo est, iugulatus foret.

Huius respectu fabulae deterritus

E §

Perie





Periculofum femper vitai lucrum,  
 Sed dicis; qui rapuere diuitias, habent.  
 10 Numeremus, agedum, qui deprehenfi perierint:

Maiorem turbam punitorum reperiēs,  
 Paucis temeritas eſt bono, multis malo.

### FAB. V.

### SCVRRRA ET RVSTICVS.

Prauo fauore labi mortales ſolent,  
 Et, pro iudicio dum ſtant erroris ſui,  
 Ad poenitendum rebus manifeſtis agi.  
 Facturus ludos quidam diues nobiles,  
 5 Propoſito cunctos inuitauit praemio,  
 Quam quisque poſſet, vt nouitatem oſtenderet.

Venere artifices laudis ad certamina.  
 Quos inter ſcurra, notus vrmano ſale,  
 Habere dixit ſe genus ſpectaculi,  
 10 Quod in theatro nunquam prolatum foret.  
 Diſperſus rumor ciuitatem concitat:  
 Paulo ante vacua turbam deficiunt loca,  
 In ſcena vero poſtquam ſolus conſtitit,  
 Sine adparatu, nullis adiutoribus,  
 15 Silentium ipſa fecit exſpectatio.

Ille



Ille in sinum repente demisit caput,  
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,  
Verum vt subesse pallio contenderent,  
Et excuti iuberent. Quo facto, simul  
Nihil est repertum, multis onerant laudibus, 20  
Hominemque plausu prosequuntur maximo.  
Hoc vidit fieri rusticus. Non mehercule  
Me viacet, inquit: et statim profesus est,  
Idem facturum melius se postridie.  
Fit turba maior. Iam fauor mentes tenet, 25  
Et derisuri, non spectaturi, sedent.  
Vterque prodit. Scurra degrunnit prior,  
Mouetque plausus, et clamores suscitatur.  
Tunc simulans sese vestimentis rusticus  
Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet, 30  
Sed, in priore quia nil compererant, latens)  
Peruellit aurem vero, quem celauerat,  
Et cum dolore vocem naturae exprimit.  
Adclamat populus, scurram multo similis  
Imitatum, et cogit rusticum trudi foras. 35  
At ille profert ipsum porcellum e sinu,  
Turpemque aperto pignore errorem probans,  
En, hic declarat, quales sitis iudices.

POE-



## P O E T A.

- Adhuc supersunt multa, quae possum lo-  
qui,  
40 Et copiosa abundat rerum varietas:  
Sed temperatae suaues sunt argutiae,  
Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissi-  
me,  
Particulo, chartis nomen victurum meis,  
Latinis dum manebit pretium litteris,  
45 Si non ingenium, certe breuitatem adproba,  
Quae commendari tanto debet iustius,  
Quando poëtae sunt molesti validius.

## FAB. VI.

## DVO CALVI.

- Inuenit caluus forte in triuio pectinem:  
Accesit alter, aequè defectus pilis,  
Eia, inquit, in commune, quodcunque est  
lucris.  
Ostendit ille praedam, et adiecit simul:  
9 Superum voluntas fauit; sed, fato inuido,  
Carbonem, vt aiunt, pro thesauro inueni-  
mus.  
Quem spes delusit, huic querela conue-  
nit.

FAB.





## FAB. VII.

## PRINCEPS TIBICEN.

Vbi vanus animus, aura captus friuola,  
Adripuit insolentem sibi fiduciam,  
Facile ad derisum stulta leuitas ducitur.

Princeps tibicen notior paullo fuit,  
Operam Bathyllo solitus in scena dare.

Is forte ludis (non satis memini quibus)  
Dum pegma rapitur, concidit casu graui  
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,  
Duas cum dextras maluisset perdere.

Inter manus sublatus, et multum gemens  
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,  
Ad sanitatem dum venit curatio.

Vt spectatorum mos est, et lepidum genus,  
Desiderari coepit, cuius flatibus  
Solebat excitari saltantis vigor.

Erat facturus ludos quidam nobiles,  
Et incipiebat Princeps ingredier. Eum  
Adducit pretio, precibus, vt tantummodo  
Ipso ludorum ostenderet sese die.

Qui simul aduenit, rumor de tibicine  
Fremit in theatro: quidam adfirmant mor-

tuum,  
Qui-



Quidam in conspectum proditurum sine mora.

Aulaeo misso, deuolutis tonitribus,  
Dii sunt locuti more translaticio.

25 Chorus reducto tunc, et notum canticum

Imposuit, cuius haec fuit sententia:

Laetare incolumis, Roma, saluo principe.

In plausus confurrectum est. Iactant basia.

Tibicen gratulari fautores putat.

30 Equester ordo stultum errorem intelligit,

Magnoque risu canticum repeti iubet.

Iteratur illud. Homo meus se in pulpito

Totum profernit: plaudit inludens eque-

Rogare populus hunc coronam existimat.

35 Vt vero cuneis notuit res omnibus,

Princeps, ligato crure niuea fascia,

Niueisque tunicis, niueis etiam calceis.

Superbiens honore diuinae domus,

Ab vniuersis capite est protrusus foras.

### FAB. VIII.

### OCCASIO DEPICTA.

Cursum volucris, pendens in nouacula,

Caluus, comosa fronte, nudo corpore,

Quem si occuparis, teneas; elapsum semel

Non

Non ipse possit Iupiter reprehendere ;  
 Occasionem rerum significat breuem. §  
 Effectus impediret ne segnis mora,  
 Finxere antiqui talem effigiem temporis,

## FAB. IX.

## TAVRVS ET VITVLVS.

Angusto in aditu taurus luctans cornibus,  
 Cum vix intrare posset ad praesepia,  
 Monstrabat vitulus, quo se pacto plecteret.  
 Tace, inquit, ante hoc noui, quam tu na-  
 tus es.

Qui doctiorem emendat, sibi dici putet. §

## FAB. X.

## VENATOR ET CANIS.

Aduersus omnes fortis veloces feras  
 Canis, cum domino semper fecisset satis,  
 Languere coepit annis ingrauantibus.  
 Aliquando obiectus hispidi pugnae suis,  
 Adripuit aurem: sed cariosis dentibus §  
 Praedam dimisit. Hic tum venator dolens  
 Canem





Canem obiurgabat. Cui latrans contra se-  
nex :


Non te destituit animus, sed vires meae.

Quod fuimus laudas; iam damnas, quod non  
fumus.

10 Hoc cur, Philete, scripserim, pulchre  
vides,



Appen-



## APPENDIX

## FABVLARVM

## MARQVARDO GVDIO

ex Manuscripto Divionensi  
descriptarum.

## FAB. I.

## MILVVS AEGROTANS.

**M**ultos cum menses aegrotasset miluus,  
Nec iam videret esse vitae spem suae;  
Matrem rogabat, sancta circumiret loca,  
Et pro salute vota faceret maxima.  
Faciam, inquit, fili; sed, opem ne non  
impetrem,  
Vehementer vereor; sed qui delubra omnia  
Vastando, cuncta polluisti altaria,  
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis  
rogem?

Pbaedrus.

F

FAB.



## FAB. II.

## LEPORES VITAE PERTAESI.

Qui sustinere non potest suum malum,  
 Alios inspiciat, et discat tolerantiam.

Aliquando in siluis strepitu magno conciti  
 Lepores clamant, se propter affiduos metus  
 5 Finire velle vitam. Sic quemdam ad lacum  
 Venerunt, miseri quo se praecipites darent.  
 Aduentu quorum postquam ranae territae  
 Virides in algas misere fugientes ruunt:

Heu, inquit vnus, sunt et alii, quos timor  
 10 Vexat malorum. Ferte vitam, vt ceteri.

## FAB. III.

## VVLPI ET IVPITER.

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.

Humanam in speciem cum vertisset Iupiter

Vulpem, regali pellex vt fedit throno,

Scarabeum vidit prorepentem ex angulo,

5 Notamque ad praedam celeri prosiluit gradu.

Superi risere, magnus erubuit pater,

Repudiatam turpemque pellicem expulit;

His profecutus: viue, quo digna es, modo,

Quae nostris vti meritis digne non potes.

FAB.



## FAB. IV.

## LEO ET MUS.

Ne quis minores laedat, fabula haec mones.

Leone in silua dormiente, rustici

Luxuriantes mures, et vnus ex iis,

Super cubantem casu quodam transiit;

Expergefactus miserum leo celeri impetu

Adripuit; ille veniam sibi dari rogat,

Crimen supplex fatetur, peccatum impru-  
dentiae,

Hoc rex vlcisci gloriosum non putans,

Ignouit et dimisit. Post paucos dies

Leo, dum vagatur noctu, in foueam de-  
cidit.

Captum vt se agnouit laqueis, voce ma-  
xima

Rugire coepit; cuius immanem ad sonum

Mus subito accurrens: non est, quod ti-  
meas, ait,

Beneficio magno gratiam reddam parem.

Mox omnes artus, artuum et ligamina

Lustrare coepit, cognitosque dentibus

Nervos rodendo laxat ingenia artuum.

Sic captum mus leonem siluis reddidit.



## FAB. V.

## HOMO ET ARBORES.

Pereunt, suis auxilium qui dant hostibus.  
 Facta bipenni quidam ab arboribus petit  
 Manubrium vt darent e ligno, quod foret  
 Firmum: iusserunt omnes oleastrum dari.

- 5 Accepit munus, aptans et manubrium  
 Coepit securi magna excidere robora.  
 Dumque eligebat, quae vellet, sic fraxino  
 Dixisse fertur quercus: merito caedimur.


## FAB. VI.

## MVS ET RANA.

Mus, quo transire posset flumen facilius,  
 Auxilium ranae petit. Haec muris adligat  
 Lino priorem crus ad posterius pedem.

- Annem natantes vix medium deuenerant,  
 5 Cum rana, subito fundum fluminis petens,  
 Se mergit, muri vt vitam eriperet perfide.  
 Qui dum, ne mergeretur, tendit validius;  
 Praedam conspexit miluus propter volans,  
 Muremque fluctuantem rapuit unguibus,  
 10 Simulque ranam colligatam fustulit.  
 Sic saepe intereunt, aliis meditates ne-  
 cem.

FAB.



FAB. VII.

## GALLI DVO ET ACCIPITER.

Gallus cum gallo saepe pugnam conferens,  
Accipitrem victus iudicem litis petit.  
Hic, ambo si venirent, mente concipit  
Spem deuorandi, qui exhiberet se prior.  
Mox cum venisse, causam vt orarent suam, §  
Vidit,prehendit illum, qui primus forum  
Deduxit ad suam litem. Ille clamat,  
Ne plectar ego, sed ille, qui fugam petit.  
Cui ales, hodie ne te credas vnguibus  
Posse eripi meis; quos alteri dolos  
Tendebas, aequum te nunc est ipsum pati.  
Qui saepe tractat aliorum secum necem,  
Ignorat, triste quid sibi fatum pareat.

FAB. VIII.


## COCHLEA ET SIMIVS.

Amore tacta speculi inuenti cochlea,  
Fulgentis orbem scandens, coepit lingere,  
Nil illi melius contulisse se putans,  
Quam si splendorem commacularet sordibus,  
Vt inquinatum vidit speculum simius, §  
Qui se calcari talibus permiserit,  
Meretur, inquit, tale dedecus pati.

F 3

Haec





Haec illis est fabella scripta feminis,  
 Ineptis quae se iungunt et stultis viris.

FAB. IX.

MVS VRBANVS ET RV-  
 STICVS.

Hospitio quondam mus vrbanus rustici  
 Exceptus, vili glande coenat in cauo.  
 Induxit precibus post, vt vrbem rusticus  
 Cellamque intraret plenam rebus optimis.  
 5 In qua dum variis perfruuntur reliquiis,  
 Impulso venit ostio cellarius,  
 Quo mures diffugiunt strepitu perterriti,  
 Et notis facile vrbanus se condit cauis;  
 At miser, ignota trepidans rusticus domo,  
 10 Timensque mortem, per parietes curstat.  
 Vt, quae volebat, sustulit cellarius,  
 Clausitque limen, iterum vrbanus rusticum  
 Hortatur; ille perturbatis sensibus  
 Vix, inquit, possum capere prae metu  
 cibum.  
 15 Putasne, veniet ille? Quid tantum times,  
 Vrbanus inquit? age, fruamur ferculis,  
 Quae frustra rure quaeras. Contra rusticus:  
 Tu, qui timere nescis, fruere his omnibus;  
 At me securum pascat glans et liberum.

In paupertate tutum praestat viuere,  
Quam diuitiarum carpi sollicitudine.

FAB. X.

ASINVS DOMINO BLAN-  
DIENS.

Blandiri domino asellus vt vidit suo  
Canem, et de mensa saturari quotidie,  
Et frustra largiter iactari a familia,  
Sic est locutus: si canem immundissimum  
In tantum dominus et familia diligit,  
Quid me futurum, si par illi fecero  
Officium, multo qui sum melior hoc cane,  
Rebusque pluribus vtilis et laudabilis?  
Alor qui sanctae fontibus puris aquae,  
Ciboque numquam soleo pasci sordido, 10  
Sum sane catulo dignior vita frui  
Beatiore, honorem et sumum consequi.  
Asellus haec dum secum, stabulum conspicit  
Intrare dominum: quare accurrens ocyus,  
Rudensque profilit, et humeris ambos 15  
pedes  
Imponit, osque lingua coepit lambere,  
Vestemque foedis scindens vngulis, graui  
Herum fatigat, stulte blandus, pondere.  
Clamore domini concitatur familia;

F 4

Fustes-




- 20 Fustesque et saxa passim adripiens obuia,  
 Rudentem mulctat; et mox membris debilem  
 Fractisque coxis, domini lapsum a corpore;  
 Semianimum tandem deiicit ad praesepia,  
 Fabella, ineptus ne se inuitis ingerat,  
 15 Melioris aut affectet officium, docet.

## FAB. XI.

GRVS, CORNIX, ET DO-  
MINVS.

- Foedus iuratae grus et cornix iunxerant,  
 Cornicem grus ab auibus vt defenderet;  
 Cornix futura, vt grus caueret, diceret.  
 Hinc cum frequenter ad cuiusdam rustici  
 5 Agrum volarent, atque euellerent fata  
 Radicitus; agri dominus vidit, et dolens,  
 Saxum da, clamat, quo feriam gruem, puer.  
 Cornix vt audit, illico monet gruem,  
 Sibi quae cauit. Alia dein die audiens  
 10 Cornix, petentem saxum: rursus commonet  
 Gruem, vt vitaret sedulo periculum.  
 Auem diuinam suspicatus rusticus,  
 Audire iussa; puero, si, inquit, dixero  
 Offam da, tu mihi clam lapidem porrige.  
 15 Grus venit, ille puerum offam iubet dare;  
 At ille lapidem, quo ferit gruem, dedit,  
 Et





Et crura fregit. Vulneratus grus ait,  
Diuina cornix, vbi nunc auspicia tua?  
Cur non monere focium, vt deieraueras,  
Properasti, tale ne mihi veniret malum?  
Respondit illa, non meretur ars mea  
Culpari, sed dolosa sunt bilinguium  
Consilia, qui aliud dicunt, atque aliud  
agunt.

Promissis ducunt qui imperitos subdolis,  
Mox fictis causis haud desistunt ludere.

## FAB. XII.

## AVES ET HIRVNDINO.

Aues in vnum cum deuenissent locum,  
Viderunt hominem feminantem linum agro.  
Quod vt pro nihilo habere hirundo intel-  
ligit,

Sic conuocatas adlocuta traditur.

Hinc nobis instat omnibus periculum,

Si semen ad maturitatem venerit.

Aues risere. Germinauit vt vero seges,


Hirundo rursus, instat pernicies, ait:

Adeste, germen eruamus noxium,

Ne, si mox crescat, inde fiant retia,

Et nos possimus artibus humanis capi.

Ridere pergunt verba aues hirundinis,



Consilium et spernunt stulte prudentissimum.  
 At illa cauta, ad hominem se mox contulit,  
 15 Vt tuta tignis nidum suspendat suum.

Sed, quae salubre monitum aues despe-  
 xerant,

De lino factis captae pereunt retibus.

FAB. XIII.

PERDIX ET VULPIS.

Resedit alta quondam perdix arbore,  
 Aduenit vulpis. Deinde sic coepit loqui:  
 O quanta vultus species est, perdix, tui!  
 Coralla rostrum, crura vincunt purpurae  
 5 Fulgorem. At si dormires, quanto pulcrior  
 Eesses. Vt stulta clausit oculos, illico  
 Rapit credentem vulpis. Illa fletibus  
 Haec mixta grauibus verba supplex edidit:  
 Per o tuarum, vulpis, artium decus,  
 10 Vt ante, quaeso, nomen proferas meum,  
 Sic deuorabis. Vulpis, vbi voluit loqui,  
 Aperuit os: at perdix euasit necem.  
 Decepta vulpis, quid opus erat loqui mihi?  
 15 Erat necesse, somnus cui non venerat?  
 Haec illis, qui loquuntur, vbi nil est opus,  
 Et qui vigilare cum necesse, dormiunt.

FAB:

FAB. XIV.  
**ASELLVS, BOS, ET VO-  
 LVCRES.**

Afellus et bos vno sociati iugo

Plaustrum trahebant: bos, dum tendit va-  
 lidius,

Confregit cornu. Afellus nil leuaminis

Sentire iurat se a consorte debili.

Laborem intendens, cornu rumpit alterum §

Terraeque tandem bos procumbit mortuus.

Afinum bubulcus carne mox onerat bouis,

Qui plagas inter mille ruptus concidit,

Et exspirauit, media collapsus via.

Ad praedam volucres conuolantes inquirunt: 10

Si te precanti mitem exlibuiffes boui,

Non immaturo pasceres nos funere.

FAB. XV.  
**LEO ET PASTOR.**

Errans in silua spinam calcavit leo,

Mox ad pastorem cauda venit blandiens;

Ne perturberis, imploro supplex opem,

Non praedam quaero. Ponit in gremio  
 pedem

Homo sublatus, et, eximens spinam, graui §  
 Leuat





Leuat dolore. Redit hinc in siluas leo;  
 Falso post tempus accusatus crimine  
 Pastor damnatur, atque ludis proximis  
 Ieiunis proiici iubetur bestiis.

- 10 Emissae dum discursitant passim ferae,  
 Agnoui hominem, qui medicinam fecerat,  
 Leo, et sublatum rursus in gremio pedem  
 Pastori ponit. Rex ut cognouit, statim  
 Siluis leonem, et pastorem reddit suis.

FAB. XVI.

CVLEX ET TAURVS.

- Culex cum taurum prouocasset viribus,  
 Cuncti venerunt populi, ut pugnam cerne-  
 rent.

Culex tum; satis est, quod venisti cominus:  
 Nam paruus mihi, iudicio sum magnus tuo.

- 5 Hinc se per auras penna sustulit leui,  
 Lusitque turbam, et tauri destituit minas.

Quod si fuisset validae ceruicis memor,  
 Et taurus hostem contempsisset sordidum,  
 Fuisset vana inertis gloriatio.

- 10 Amittit famam, qui se indignis comparat.

FAB.

## FAB. XVII.

## EQVVS ET ASINVS.

Afello fonipes phaleris occurrit tumens,  
 Et lassus, multo tardius quod pondere  
 Viam dedisset transeunti; vix, ait,  
 Me teneo, quin te faeuis calcibus exteram.  
 Tacuit asellus, gemitu testatus deos: §  
 Equus, currendo ruptus paruo in tempore,  
 Ad villam mittitur. Hunc onustum stercore  
 Vt vidit asinus, tali derisit ioco.  
 Quo, gloriose, phaleras has quondam tibi,  
 Modo ad despectam qui redisti miseriam. 10  
 Felix ne spernat, dubiae fortis immemor,  
 Humilem, cum quid futurus ipse, nesciat.

## FAB. XVIII.

VOLVCRES, QUADRVPEDES  
ET VESPERTILIO.

Bellum gerebant volucres cum quadrupedibus,  
 Et vincebantur versa victores vice.  
 At vespertilio, dubios euentus timens,  
 Ad illos semper, quos superasse viderat,  
 Se conferebat. In pacem cum pristinam §  
 Redissent, fraus vtrique generi apparuit.

Damna-



Damnatus ergo tam pudendo crimine,  
 Lucem refugiens, atris posthac condidit  
 Se tenebris, solus noctibus semper volans.  
 20 Qui se duabus venditabit partibus,  
 Vtrisque ingratus vitam deget turpiter.

## FAB. XIX.

LVSCINIUS, ACCIPITER ET  
AUCEPS.

Accipiter in luscinii nido dum sedet,  
 Aurito insidians, illic pullos inuenit;  
 Mater, periclo mota prolis, aduolat,  
 Supplexque, pullis vt parcat suis, rogat.  
 5 Accipiter, quod vis, inquit, faciam, si bona  
 Cantabis voce carmen modulatum mihi.  
 At illa, quamuis excideret animus, tamen  
 Metu parebat, et coacta cantitat  
 Luctuque plena. Praedam qui captauerat  
 10 Accipiter, inquit, non tu cantasti bene,  
 Et vnā ex pullis apprehendit vnguibus;  
 Coepitque deuorare. Ex diuerso venit  
 Auceps, et calamo clam crescente, perfidam  
 Visco contigit, atque in terram detrahit.  
 15 Quicumque fraudes alii tendit subdolas,  
 Timere debet, ne ipse capiatur dolo.

FAB.



FAB. XX.  
LUPVS, VVLPIS ET PA-  
STOR.

Lupus per tempus maximam congesserat  
Praedam in cubile, haberet vt cibaria,  
Queis plures posset menses otio frui.  
Vulpes ut nouit, ad cubile abit lupi,  
Et voce tremula, an recte frater omnia? 5  
Quod te non vidi filius venantem tuis,  
Tristem per omnes exegi vitam dies.  
Lupus, liuorem postquam agnouit aemulae,  
Non tu sollicita huc causa venisti mea,  
Sed partem vt captes. Fraude quid petas, 10  
scio.

Irata vulpis ad ouium pastorem abit,  
Agesne, pastor, inquit, gratias mihi,  
Inimicum si tradidero hodie gregis tui,  
Vt numquam sis sollicitus. Pastor, seruiam  
Tibi, inquit, tribuam et, quidquid volue- 15  
ris, lubens.

Cubile monstrat illa pastori lupi;  
Qui clausum protinus peremit lancea,  
Et gaudens de alieno saturauit aemulam.  
Vt vero vulpis in venantes incidit  
Deprehensa, canibus et laniata, sic ait: 20

Dedi



Dedi vix alteri malum, et iam punior.  
 Timere debet, quisquis alii sustinet  
 Nocere, peius ipsi ne eueniat malum.

FAB. XXI.

OVES ET LVPI.

Oves lupique cum certassent proelio,  
 Illae vicerunt, tutae praesidio canum.  
 Lupi legatos mittunt, et fictam petunt  
 Hac lege pacem, vt dederent oves canes,  
 5 Et obsides luporum catulos reciperent.  
 Oves, aeternam sic sperantes gratiam  
 Iniri, faciunt, quod poposcerunt lupi.  
 Post paullo cum coepissent vlulare catuli,  
 Lupi, necari caussantes natos suos,  
 10 Pacemque ruptam ab ouibus, vndique  
 impetu  
 Inuadunt facto nudas defensoribus:  
 Fidem quae sultae quod habuerant hostibus,  
 Consilium sera damnant poenitentia.  
 Praesidium, quo quis olim tutus vixerat,  
 15 Si prodat aliis, frustra post desiderat.

## FAB. XXII.

## SIMIUS ET VULPIS.

Rogabat vulpem simius, caudae suae  
De magnitudine aliquid ut sibi daret,  
Nates velare quo posset turpissimas.

Quid enim, inquit, cauda tantae longitu-  
dinis

Prodest? quo tantum pondus per terram  
trahis?

Cui vulpis, esset quamuis illa longior,  
Maiorque multo, mallet per terram et  
lutum,

Spinasque trahere, quam partem tibi dare,  
Meo ne tegmine videaris pulchrior.

Auare, te fabella haec, et locuples, 10  
monet,

Qui, quamuis superest, nil tamen das pau-  
peri.

## FAB. XXIII.

LVPVS, PASTOR ET VE-  
NATOR.

Cum venatorem fugeret instantem lupus,  
Et a pastore visus, qua parte fugeret,  
Et quo se conderet loco, plenus metu

Phaedrus.

G

Omnes





Omnes per, oro te, bubulce, spes tuas,  
 Ne prodas innocentem, cui nihil mali  
 Fecisse me, per magnos adiuro deos.  
 Noli timere, pastor inquit, alteram  
 Montrabo partem. Mox venator aduo-  
 lans,

Non huc venire, pastor, vidisti lupum;  
 Qua parte fugit? cui pastor, venit quidem,  
 Sed laeua fugit, voce dixit maxima;  
 At oculis clam designat partem dexteram.  
 Non intellexit ille, et festinans abit.  
 Lupo tunc pastor, quas habebis gratias,  
 Quod te celarim? Maximas linguae tuae,  
 Lupus, ago, dixit, at oculis fallacibus  
 Aeternae caecitatem noctis imprecor.

Qui verbis blandus, fraudem celat pe-  
 ctore,  
 Hoc argumento se describi intelligat.

#### FAB. XXIV.

### HOMINES DVO, FALLAX, VERAX ET SIMIL.

Agentes mendax et simul verax iter,  
 In simiorum forte terram venerant;  
 E turba ut vidit vnus, qui se fecerat  
 Regem,



Regem, teneri iussit illos, sciret ut,  
De se quid homines dicerent: simul iubet  
Omnes adstare simios longo ordine,  
Dextra laeuaque; sed sibi poni thronum,  
Ut hominum reges quondam facere viderat.  
Mox iustos homines in medium adducit,  
rogat;

Qualisnam vobis esse videor, hospites. 10

Respondit mendax, rex videris maximus.

Quid hi, quos apparere nunc vides mihi?

Hi comites, hi legati, et militum duces.

Mendacio laudatus cum turba sua

Adulatori munus imperat dari. 15

Hic secum verax, tanta si mendacio

Sit merces, quanto non ego, dixit, munere

Donabor, verum si pro more dixerō.

Hinc ad veracem simius: et qualis tibi

Videor, et illi, quos stare ante me vides? 20

Respondit ille: verus es tu simius,

Et simii omnes illi, qui similes tui.

Iratus illum dentibus rex imperat

Lacerari et vnguibus, quod vera dixerat.

Blandum laudatur a malis mendacium; 25

Bonis honesta fert exitium veritas.



## FAB. XXV.

## HOMO ET LEO.

Homo certabat cum leone, fortior  
 Quis esset, litisque huius testimonium  
 Dum quaerunt, ad sepulcrum tandem ve-  
 nerunt.

Elisis in quo ab homine pictum faucibus  
 Leonem ostendit, argumentum virium.  
 Leo respondit, humana hoc pictum manu.  
 Videres hominem deiectum, si pingere  
 Leones scirent. Sed ego testimonium  
 Dabo virtutis certius. Ad spectaculum  
 Induxit hominem; monstrans vbi bona fide  
 Enectas a leonibus homines, ait,  
 Non est colorum testimoniis opus,  
 Hic exhibetur vera virtus actibus.  
 Colore frustra mendaces vti docet  
 Fabella, certa cum datur probatio.

## FAB. XXVI.

CICONIA, ANSER ET  
 ACCIPITER.

Venisset notum ad stagnum cum ciconia,  
 Mergentem inuenit se frequenter anserem  
 Sub undis; quaerit, cur hoc faceret. Ille ait,  
 Haec



Haec nobis consuetudo est, et in luto  
Reperimus escam, et accipitris simul impe- 8  
tum

Venientis ad nos tuti sic euadimus.  
Sum multo accipitre fortior, ciconia  
Inquit; amicitiam si vis mecum iungere,  
Illi insultare victor poteris. Credulus  
Et protinus auxilium petens anser, simul 10  
In agrum prodit; illico superuenit  
Accipiter, et comprehensum saevis unguibus,  
Fugiente deuorat anserem ciconia.  
Cui anser: qui patrono se tam debili  
Credidit, peiore finiri debet nece.

## FAB. XXVII.

## OVIS ET CORNIX.

In tergo cornix otiose confidens  
Ouis, tundeat illud rostro: cum diu  
Fecisset, inquit patiens ovis iniuriae,  
Hanc si fecisses contumeliam cani,  
Eius latratum haud ferres. At cornix oui, 8  
Collo tam forti numquam sedeo, nam scio  
Quos debeam laceffere, annis callida;  
Acribus amica, at importuna inermibus.  
Sic me creatum di uoluerunt viuere.



80 His, qui laceffunt innocentes infimi,  
 Vexare fortes metuunt, fcripta est fabula.

## FAB. XXVIII.

## FORMICA ET CICADA.

Hiemis formica grana tempore e cauo  
 Trahens ficcabat, quae prudens collegerat  
 Aestate. Efuriens hanc, vt aliquid fibi daret,  
 Rogat cicada. Cui formica: aestate quid  
 3 Agebas? inquit illa, non erat otium,  
 Vt de futuro cogitarem tempore,  
 Errabam cantans per fepes et pascua.  
 Ridens formica, et grana referens, fic ait:  
 Aestate quae cantasti, age, falta frigore.  
 10 Piger laboret certo femper tempore,  
 Ne, cum nil habeat, pofcens accipiat nihil.

## FAB. XXIX.

## EQVVS ET ASINVS.

Equum rogabat afinus paullulum hordei:  
 Libenter, ait; et fi fupereffet, largiter  
 Pro dignitate noftra tribuerem tibi:  
 Simul fed noftra vefpere ad praefepia  
 3 Venero, mox plenum farre facculum dabo.  
 Afellus

Afellus inquit, nunc qui rem paruum negas,  
Quid in maiore te facturum existimem?

Qui, magna cum promittunt, parua de-  
negant,

In dando se tenaciores indicant.

FAB. XXX.

LEO SENEX ET VULPIS.

Defectus annis, languorem finxit leo.

Aegrotum ad regem visitandum bestiae.

Plures venerunt; deuorat quas protinus.

Sed cauta vulpis ante speluncam procul

Stabat salutans regem. Quam rogat leo.

Cur non intraret; video quod vestigia

Intrantium multa, at nulla exeuntium.

Cautis prodesse pericula aliorum solent.

FAB. XXXI.

PVLEX ET CAMELVS.

Pulex cameli dorso forte confidens,

Grauat multis qui incedebat farcinis.

Sibi placebat, longe visus altior.

Iter cum longum facerent; vespera simul

Ad stabulum venerunt, pulex leuiter statim;






Ad terram saliens, ecce, dixit, ocyus  
 Descendo, attritum ne grauem diutius.  
 At ille, gratum est, inquit, sed nec pon-  
 dere,  
 Te imposito, me grauari sentire potui,  
 10 Nec, te deiecto, habere quid leuaminis.  
 Qui se sublimi, nullo cum sit ordine,  
 Iactas, notatus in despectum deuenit.

## FAB. XXXI.

## HOEDVS ET LVPVS.

Capella, foetum vt custodiret, exiens  
 Pastum, imprudentem monuit hoedum, ne  
 ostium  
 Aperiret, multas quod sciret stabula feras  
 Circuire pecorum. Vt abiit, aduenit lopus,  
 5 Assimulans vocem matris, et iubet fores  
 Sibi referari; vt hoedus audiuit, lupo  
 Per rimam spectans, inquit, audio sonum  
 Matris, sed fallax atque inimicus es mihi;  
 Sub voce matris nostrum quaeris sanguinem  
 10 Potare, et nostra carne satiari. Vale.  
 Laus magna natis, obsequi parentibus.

FAB.



FAB. XXXIII.

PAUPER ET SERPENS.

Serpens in aedibus cuiusdam pauperis  
Venire semper ad mensam consueuerat,  
Et inde micis pascebatur largiter.  
Diues post paullo factus; irasci incipit  
Serpenti, et vulnerat secure; tempore  
Ad pristinam interposito egestatem redit.  
Pro sorte varia serpentis postquam videt  
Fortunam mutari suam, blande petit  
Ignoscat vt peccanti; cui serpens ait,  
Te poenitebit sceleris, vsque dum mea  
Cicatrix clausa fuerit; at tamen optima  
Fide me posthac noli amicum credere.  
Redire tamen hac lege in gratiam volo,  
Securis numquam perfidiae si meminerim.  
Suspectus esse debet, qui laesit semel,  
Et caute semper integranda gratia.

FAB. XXXIV.

AQVILA ET MILVVS.

In ramo tristis federat cum miluo  
Aquila. Quid vultu te tam moesto, miluus,  
Conspicio? quaero, dixit illa, coniugem  
Parem,



Parem, nec inuenire possum. Me accipe.  
 Te multo qui sum fortior. Quid? an potes  
 Ex raptu victum quaerere? vnguibus meis  
 Struthiocamelum rapui presum saepius.  
 Inducta verbis aquila coniugem capit.  
 Paruo post nuptias transacto tempore  
 10 Aquila, abi, et praedam promissam mihi rape.  
 Volans in altum foricem immundissimum,  
 Et longo miluus adfert putridum situ.  
 Haecne est polliciti, aquila dixit, fides tui?  
 Cui miluus; ego, vt peruenirem nuptias  
 15 Ad regias, nihil non posse me fidem  
 Dedissem, quamuis me nequire nouerim.  
 Qui se maiores cupidi quaerunt coniuges,  
 Dolent decepti se post iunctos vilibus.









152638

ULB Halle

3

007 369 980



v D n 8

R







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



PH A E D R I  
A V G V S T I L I B E R T I  
**F A B V L A R V M**  
**A E S O P I A R V M**  
L I B R I V .  
E T  
N O V A R V M F A B V L A R V M  
A P P E N D I X .



N O R I M B E R G A E ,  
E X O F F I C I N A L I B R A R I A R I E G E L I A N A .  
1 7 7 3 .

